PICTAV. S. J.

29-5

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/exercitiaspiritu0000pjoa

EXERCITIA

SPIRITUALIA.

PARISIIS, EX TYPIS POUSSIELGUE,
via vulgo dicta *du Croissant*, 12.

Petitdidier, Jean-Joseph

P. JOANNIS PETITDIDIER,

E SOCIETATE JESU,

EXERCITIA SPIRITUALIA

TERTIO PROBATIONIS ANNO

A PATRIBUS SOCIETATIS JESU

PER MENSEM OBEUNDA,

juxta normam

SANCTI IGNATII LOYOLÆ,

FUNDATORIS EJUSDEM SOCIETATIS.

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
P945
Calif

PARISIIS,

APUD POUSSIELGUE-RUSAND, BIBLIOPOLAM,

via vulgo dicta *du Petit-Bourbon S. Sulpice*, 3;

LUGDUNI, APUD J. B. PÉLAGAUD.

1847

42978

PRÆFATIO.

Miram sancti Ignatii a militia seculi ad militiam Christi conversionem, in lectulo fortuita piorum Librorum lectione inchoatam, in æde Montis Serrati, suspensis armis, sacris vigiliis ante aram Beatæ Virginis firmatam, in specu Manresana per annuum secessum, et Exercitia spiritualia ipsi cœlitus inspiratam, Spiritus Sanctus consummavit. Inde enim, in alium virum mutatus, novus Christi miles prodiit, et qua tuba, quibus armis ad Christi vexillum tractus ipse fuerat, iisdem alios eo trahere et congregare cœpit. In hunc finem homo litterarum tunc plane rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum Librum, Sedis apostolicæ judicio, et omnium utilitate comprobatum. In quo, divino quodam lumine illustratus, accepta a Deo documenta, eodem quo acceperat ordine, et propriis experimentis di-

dicerat, descripta in suum et aliorum usum, ad Dei gloriam reposuit. Hoc instrumento, quo primum christianæ perfectionis fundamentum posuerat, et ipse semper in ædificando progressus est, et turri evangelicæ fastigium imposuit; eodem Socios omnes Christo lucratus, singulos menstruo secessu exercitos et probatos, idoneos futuræ Societatis Operarios paravit; quibuscum communibus votis eamdem Societatem instituit. Eodem Societatis ipsius institutum sive ut primum brevi Compendio Sedi apostolicæ oblatum est, sive ut ab eo approbatum postea Constitutionibus editis explicatum est, tanquam latentem in semine fructum condidit. Unde lex interna ab exercitiis spiritualibus hausta primos Patres utique, nondum editis Regulis, mirabili consensione dirigebat.

Hinc merito in Societate statutum est, et a primis usque temporibus constanter servatum, ut primum Novitiorum experimentum essent Exercitia spiritualia per mensem obeunda. In quo tamen a multis annis teneræ Novitiorum ætati prudenter consultum est, ut mensis ille, non continuo fluxu, et uno tenore, sed interpolatis vicibus obiretur : per quod et tædio longioris secessus obviatur, et aucto fervore fructus uberior colligitur.

Idem pro Patribus tertii anni, seu ultimæ probationis, et expressius præscribitur, et servatur accuratius, ut pote magis capacibus. De quibus sic habetur Regula eorum 5. In sex Societatis experimentis, et aliis humilibus, juxta Novitiatus consuetudinem exercebuntur, sumpto initio a spiritualibus Exercitiis, per integrum mensem. In quo solus reverendus pater Generalis dispensare potest; sed vix unquam debet; cum id fieri vix possit non solum absque perfectionis illorum dispendio, sed etiam absque salutis periculo, ut notant et tradunt periti probationis illius Instructores.

Et quoniam iisdem causis res conservantur, quibus primo producuntur, æque sapienter statutum est, ut omnes quotannis vacent spiritualibus Exercitiis obeundis per octo vel decem continuos dies. Quod ut servetur, Superiores locales curare debent, et Provinciales in visitatione exigere.

Et initio quidem, hoc est per annos plus quam quadraginta, exceptis Novitiis et Junioribus, quibus a Magistro vel Præfecto spiritus Meditationes singulæ proponebantur, reliqui omnes solo Sancti Ignatii Libello adjuti, et posteaquam prodiit, etiam Directorio, Meditationes sibi formabant, seque ipsos exercebant operosius quidem, sed fortasse fruc-

tuosius. Verum successu temporis identidem libri editi sunt Meditationum pro annuis decem vel octo dierum Exercitiis, qui hunc laborem minuerent, et paratam Meditationis materiam proponerent ; et mediante seculo prodiit in usum Patrum ultimæ probationis Liber patris Antonii Gaudier, cui titulus est : *Introductio ad solidam perfectionem, per manuductionem ad sancti Ignatii Exercitia Spiritualia integro mense obeunda.* Qui Liber multoties Parisiis et Lugduni seorsim editus est in-8°, estque sexta pars majoris operis in-folio, *de Natura Perfectionis ;* cujus unica editio dudum exhausta est. Hujus auctor in juventute cum Discipulis sancti Ignatii in Belgio versatus, et ab ipsis excultus Exercitiis Sancti Patris, spiritum ab ipsis haustum in hoc suum Opusculum fideliter retulit in posteros transfundendum.

Hunc ego Librum in Novitiatu nactus avide legi, legendo gustavi et adamavi ; sic ut deinceps in Collegiis, ubi eum reperire potui, eodem quotannis cum fructu usus sim in Exercitiis spiritualibus. Ubi vero Patribus tertiæ probationis Instructor datus sum, ejus methodum secutus, omnibus mihi commissis ipsum impense commendavi, tanquam fidelem sancti Ignatii interpretem ; materiam Medita-

tionum ut plurimum ex ipso sumpsi, et si quando defuit, ad ingenium ejus supplevi; ipsumque Librum una cum Libello Exercitiorum et Directorio, singulis in secessu menstruo seorsim integre legendum tradidi.

Hoc officio duodecim annis perfunctus, formatas a me et Patribus traditas Meditationes plerasque in schedis primum annotavi, deinde ex ordine descriptas in Libellum retuli, in usum meum, et forte aliorum. Et cum Romam missus essem ad Congregationem XVI, reverendus pater Generalis data occasione hortatus est me ut notabiles sensus et affectus Exercitiorum spiritualium edendos colligerem. Qua exhortatione motus, Libellum meum, quem forte mecum habebam, reverendo patri Croiset, tunc Provinciali Lugdunensi, in iisdem Comitiis versanti, legendum obtuli, qui lectum probavit, laudavit, et edendum suasit, ut et alii Patres nostri qui aliquid ex ipso legerant. Ex eo tempore scripta in multis correxi, plura, quæ desiderabantur, adjeci, ut Opusculum Societati utile, et præsertim juvandis Patribus tertiæ probationis aptum concinnarem, et patris Antonii Gaudier lacunas explerem, aut defectus supplerem.

In hoc autem potissimum intentus fui, ut genui-

num sancti Ignatii spiritum ex Libello ejus et Directorio haustum (utrumque autem a sexaginta annis et amplius saltem semel quotannis integre legi) in hoc Opusculum meum transfunderem, nec minimum ab ejus methodo discederem, omnibus ejus regulis, annotationibus et additionibus accurate servatis; quas neglexerunt plerique etiam e nostris, qui octo decemve dierum Exercitia vernacule tradiderunt, speciosas meditationes suis nervis spoliantes. Lectis quoque in hunc finem explanationibus R. P. Ignatii Diertins, Antuerpiæ editis anno 1696, si quid ultra ad Libelli intelligentiam faciebat, sedulo annotavi, et suo loco retuli.

1° Tradit sanctus Ignatius (annot. 4 et 20) totum Exercitiorum tempus, triginta dierum aut circiter spatio concludi. Et nos trium et triginta dierum spatio ea concludimus.

2° Ibidem dicit, assignari Exercitiis quatuor hebdomadas, totidem eorum partibus respondentes, qualitate materiæ distinctas, et affectu potius quam numero dierum constantes; et nos eas accurate distinximus, et suos singulis dies assignavimus.

3° Annotationibus 12 et 20 monet quinque Exercitia quotidie peragenda, et in quolibet expendi debere unius horæ tempus. Nos tres saltem Medita-

tiones in singulos dies damus, quarum duæ Repetitiones, ob affinitatem materiæ faciles, quinarium numerum conficient, quem optamus, et sustineri posse judicamus, etiam excluso mediæ noctis Exercitio. Saltem una repetitio facienda est, ad quaternarium conficiendum, quem sanctus Ignatius omnino exigit, etiam in quarta hebdomada, ubi hanc relaxationem admittit.

4° Additionibus 1, 2 et 6 præscribit cogitationes rebus meditandis congruas, exclusis aliis; et illas singulis septimanis studiose mutandas suggerit. Ego vero non solum singulis septimanis, sed singulis prope diebus alias et alias assigno, Meditationibus diei congruentes, et ipsa diei tessera vel expressas, vel indicatas.

5° In singulos quoque dies assigno Lectiones pias, rebus meditandis etiam congruentes; et 1° quidem ex Libello Exercitiorum et Directorio, ita ut uterque Liber absolvatur in secessu : quæ Lectio nunquam omittenda; 2° pro singulis hebdomadis assigno solidas Lectiones ex Libro P. Antonii Gaudier, aliis præferendas; 3° in secunda hebdomada et duabus sequentibus Lectiones sacri textus fieri convenit de mysteriis eo die meditandis; 4° alias etiam subjungo ex Libris de Imitatione Christi, si vacat et

libet, faciendas; 5° præter Meditationes et Lectiones pias, singulis diebus assigno considerationem, seu discussionem aliquam de præcipuis vitæ spiritualis Exercitiis, qualem plerique Exercitiorum spiritualium editores substituunt Meditationi, et ponunt pro tertio diei Exercitio. Quin et P. Antonius Gaudier ponit discussionem regularum, hoc forte prætextu, quod post prandium minus aptus est animus ad profundam meditationem. Quocirca scribit P. Ignatius Diertins hanc praxim esse minus consonam menti sancti Ignatii, qui variis locis præcipit, ut toto die hæreamus in eadem materia, aut repetendo, aut sensus applicando. Et hoc quidem verum est, sed nullibi vetat ejusmodi discussiones facere in Exercitiis; imo plures ipse assignat et proponit, ut est totum negotium electionis, consideratio de emendatione vitæ, aut de eleemosynis, Regulæ de victu temperando, aut alia, quin et ipsa consideratio de tribus modis humilitatis, quæ omnia fieri vult extra Meditationes, nec earum effectum per hæc impediri putat. Unde menti sancti Ignatii omnino consentaneum judico, salvis quatuor aut quinque Meditationibus horariis, saltem mediam horam ejusmodi discussioni, seu considerationi impendere; quod tandem permittit ipse P. Diertins, faciet quis-

que quod melius judicabit. Idem sapienter monet, omnia ad tertium humilitatis modum, qui est quasi objectum attributionis, ad quod omnia a sancto Ignatio diriguntur, referenda esse, et ad illum præcipuo studio tendendum.

SYNOPSIS ANALYTICA

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

SANCTI IGNATII LOYOLÆ.

In secessu Libellus aureus Exercitiorum spiritualium, una cum Directorio ipsi respondente, semper integre et accurate legendus est, expensis in utroque titulis, paragraphis, adeoque vocibus singulis. Interim hanc utriusque synopsim legisse non pigebit.

In Libello Exercitiorum distingui possunt quasi tres partes, ex quibus constat : nimirum præambula, corpus ipsum seu Exercitia, et appendices seu additamenta.

I. — Præambula, et quasi prolegomena, complectuntur omnia quæ habentur ante principium, seu fundamentum, seu titulum præfixum, nempe *Exercitia quædam spiritualia.* Suntque duplicis generis, alia propria, ab ipso auctore sancto Ignatio præscripta ; alia adscititia, seu ab aliis adjecta, et editioni Libri præmissa. Hæc complectuntur Bullam approbationis Pauli Tertii, suffragia examinatorum, et præfationem seu monitum editoris ad lectorem. Illa vero continentur præcipue viginti annotationibus Libello præfixis, et ea, quæ habetur ante fundamentum, et incipit, *in primis,* ne omissis quidem titulis, quæ lucem afferunt, ideam rei suppeditant, aut usum indicant. His autem tra-

duntur generales et præcipuæ Exercitiorum præceptiones.

Annotationes autem illæ, sine ordine positæ, tres in classes distribui possunt, quarum prima continet eas quæ pertinent ad ideam Exercitiorum spiritualium, eorumque naturam, partes et usum explicant; suntque prima, quarta, decima quinta, decima nona, vigesima, et annotatio ante fundamentum. Secunda eas quæ pertinent ad directorem, eumque instruunt de agendis et omittendis, seu methodum præscribunt manuducendi per Exercitia ad perfectionem : suntque secunda, sexta, septima, octava, nona, decima, decima quarta, decima sexta, decima septima et decima octava. Tertia continet eas quæ pertinent ad exercitantem, et quæ illi præscribunt modum se gerendi in Exercitiis cum Deo, cum directore, cum aliis; suntque tertia, quinta, undecima, duodecima, decima tertia, vigesima in fine.

II. — Corpus operis, seu Exercitia ipsa, complectitur omnia quæ habentur a fundamento ipso, ad meditationem usque de amore spirituali excitando, ipsi respondentem utrinque inclusive.

Dividitur autem in quatuor partes seu hebdomadas, pro diversitate materiæ, fructus, qui in his quæritur, et affectus, qui per eas paritur, distinctas.

Quælibet septimana præscribit in singulos dies quatuor, aut quinque Exercitia, seu occupationes mentales, singulas unius horæ. Quæ diversis nominibus in Libello designantur; omnes tamen nomine generico Exercitii et Meditationis comprehendi possunt. Quod idem nomen, specifice et pressius sumptum, significat

exercitationem mentis magis discursivam, et circa veritatem abstractam; tales sunt: *Meditationes* de peccatis. *Contemplationes* autem sunt magis intuitivæ, et considerant rem gestam, aut spectabilem. *Applicatio sensuum* dicitur meditatio maxime inhærens rebus sensibilibus, et consistens in Exercitio sensuum internorum. *Repetitio* dicitur, non quævis ejusdem objecti iterata meditatio, sed *Meditatio reflexa* ejusdem rei, attendens ad actus et sensus meditationis de eadem prius facta. *Consideratio* denique dicitur cujusvis veritatis moralis ponderatio. Hæc fere sunt nomina quibus Exercitia spiritualia designantur in Libello.

Præter hæc Exercitia præcipua, seu meditationes et orationes mentales, quælibet hebdomada continet aliqua alia Exercitia spiritualia, seu praxes vitæ interioris et spiritualis, et aliquas régulas illis congrue respondentes, earumque tum materiam subministrat, tum formam tradit, methodum exhibet, aut exemplum proponit.

Exercitia autem illa sunt quædam examina, discussiones, deliberationes, documenta, aut præcepta, quibus eorum materia attingitur, aut forma præscribitur.

Præcepta autem meditandi in ipsis meditationibus traduntur, et præterea leges quædam generales, et adjumenta meditandi seorsim exhibentur, quæ additiones vocantur; forte eo quod reliquis Regulis jam scriptis additæ sunt: quarum aliæ sunt generales, omnibus hebdomadis communes; aliæ speciales, singulis hebdomadis propriæ et congruentes.

Omnibus autem hebdomadis præmittitur, tanquam

principium et fundamentum, Meditatio de fine ultimo hominis, quæ in omnes influit; et tribus ultimis hebdomadis præmittitur contemplatio de regno Christi, tanquam fundamentum earum, et compendium quoddam totius vitæ Christi. Subjungitur autem omnibus contemplatio ad amorem spiritualem excitandum, per modum recapitulationis, quasi compendium omnium Exercitiorum spiritualium.

Præter has tres Meditationes sunt et aliæ substantiales, et quasi capitales, quæ sunt velut anima Exercitiorum spiritualium, et ideo nunquam omittendæ: nimirum secundum Exercitium de peccatis, Exercitium de inferno, aut aliud de pœnis peccatorum; Meditatio de duobus vexillis, et de tribus hominum classibus, et consideratio trium modorum humilitatis; quæ cæteras Meditationes connectunt, et rite disponunt ad effectum suum producendum, pertinentque ad *ordinem illum aptissimum ad pie movendos fidelium animos* a Pontifice laudatum. Cæteræ autem Meditationes minus principales pro arbitrio fieri, aut omitti possunt, nec pertinent nisi ad integritatem Exercitiorum spiritualium.

Ordo autem ille optimus in hoc consistit, quod posito principio seu fundamento, nempe seria et profunda meditatione finis ultimi, tum præsentis, tum futuræ vitæ, et mediorum eo perducentium, quilibet probe consideret et cognoscat quomodo et quantum ab illo fine aberraverit, quo damno et quo periculo. Deinde videat et decernat quo duce, quibus mediis in viam redeat, et in ea progrediens ad dictum tandem finem perveniat.

Prima hebdomada, quæ incipit a primo Exercitio de peccatis, continet Exercitia viæ purgativæ, tenditque ad cognitionem, detestationem et fugam peccatorum, suique ipsius victoriam et affectuum ordinationem.

Materia Meditationum sunt peccata, eorumque pœnæ ac remedia. Forma præscribitur in Meditatione prima, quæ dicitur trium potentiarum, eo quod in singulis ejus punctis tres potentiæ animæ, memoria, intellectus et voluntas exercentur; quod non fit in Meditatione sequenti, seu in secundo Exercitio de peccatis; nam in primo puncto sola memoria, in secundo et duobus sequentibus solus fere intellectus, in quinto sola voluntas exercetur.

Adjumenta meditandi traduntur in decem additionibus in fine positis, quæ sunt leges generales, et conveniunt omnibus hebdomadis. Sed quatuor ex illis, nempe secunda, sexta, septima et decima adaptantur ad præsentem peccatorum materiam, et affectum compunctionis hic quæsitum; et ideo in aliis hebdomadis variari debent et materiæ accommodari. Meditationes pro uno tantum die præscribuntur, ad cujus normam pro aliis ordinandæ sunt.

Exercitia propria hujus hebdomadæ, ultra meditationes, sunt utrumque examen, generale et particulare, et modus sive methodus confessionis et communionis frequentis.

Ex regulis in appendice positis huc pertinent priores regulæ de discernendis spiritibus. Huc quoque revocari potest primus orandi modus, ex tribus ibi traditis.

Secunda hebdomada respondet viæ illuminativæ,

tenditque ad virtutum exercitationem, per assiduam Christi imitationem ; præcipue in agendo.

Præmissa contemplatione de regno Christi, sive de Christo rege invitante ad sui imitationem, meditationes sunt de singulis mysteriis vitæ Christi, tum privatæ, tum publicæ, ejusque doctrina et exemplis.

Forma illarum præcribitur in primo Exercitio, quod est de Incarnatione. Annotationes speciales et propriæ hujus hebdomadæ habentur in quinque notandis post contemplationem quintam.

Exercitia spiritualia extra meditationes sunt tractatus de electione status, et de vitæ emendatione seu reformatione, quarum regulæ accurate ibi traduntur.

Ex Regulis in fine Libri positis, huc proprie pertinent Regulæ posteriores de discernendis spiritibus, et Regulæ de distribuendis eleemosynis.

Ad hanc etiam hebdomadam revocari potest secundus orandi modus.

In ea præscribit Libellus meditationes pro duodecim diebus.

Tertia hebdomada, respondens eidem viæ illuminativæ, et ex parte unitivæ, tendit ad compatiendum Christo crucifixo, ejusque virtutes, præsertim in patiendo, imitandas, ad crucem et mortem ejus exemplo et amore subeundam.

Meditationes sunt de passione et morte Domini, quarum forma præscribitur in primo Exercitio, quod est de Cœna ultima, ubi præcepta materiæ præsenti applicantur.

Additiones speciales habentur in quatuor notandis post contemplationem secundam.

Præter regulas quæ in ea traduntur ad vitam recte temperandam, expositas in appendice, huc revocari possunt notanda de scrupulis; similiter et secundus ex tribus orandi modis ibi traditis.

Praxes huic hebdomadæ proprias, præter meditationes, nullas invenio. Meditationes autem pro septem diebus in Libello assignantur.

Quarta hebdomada respondet proprie viæ unitivæ, ejusque Exercitia continet, tenditque ad Christum etiam in vita gloriosa imitandum et sequendum.

Meditationum materia est de Christi resurrectione, ubi præcepta materiæ applicantur.

Additiones propriæ sunt in notando eidem contemplationi subjecto.

Ex regulis in appendice positis supersunt ad hanc hebdomadam, quæ traduntur servandæ, ut cum orthodoxa Ecclesia sentiamus.

Ad eamdem congrue assignatur tertius orandi modus.

In dicto notando post primam contemplationem dicitur, quod in sequentibus contemplationibus recensenda erunt per ordinem mysteria omnia, Resurrectionis, Ascensionis, et intermedia, servatis ubique iisdem formulis, et modis etiam circa repetitiones et sensuum applicationes.

Præter has de mysteriis Christi Meditationes habetur in fine Meditatio, seu contemplatio ad amorem Dei spiritualem excitandum, quæ est veluti compendium et recapitulatio omnium Exercitiorum spiritualium, inducens suavissimum et utilissimum præsentiæ divinæ Exercitium, ideoque studiose facienda, et pluries repetenda.

III. — Appendix Exercitiorum spiritualium continet quatuor additamenta et quasi supplementa.

Primum est triplex orandi modus. Quorum primus deducitur ex mandatis Dei et Ecclesiæ, ex peccatis, ex tribus animæ potentiis, ex quinque sensibus consideratis et expensis per modum examinis cujusdam.

Secundus ex vocum singularum alicujus orationis perpensa diversa significatione, cum affectu et gustu.

Tertius per quamdam vocum et temporum commensurationem, ita ut inter singulas respirandi vices singula Dominicæ vel alterius orationis verba transmittantur, expensa interim vel vocis significatione, vel personæ, quam oras, dignitate, vel nostra exilitate, vel utriusque differentia.

Horum trium orandi modorum singulos singulis fere hebdomadis adaptavimus.

Secundum est series mysteriorum Domini nostri Jesu Christi, suppeditans materiam Meditationum pro tribus ultimis hebdomadis in tria fere puncta divisarum. Quæ omnia in tres classes dividi possunt, et harum prima in duas partes, quibus traditur via mandatorum et perfectio Evangelica per vitam Christi privatam et publicam.

Tertium est complexum Regularum inter Exercitia proponendarum, quarum singulas singulis fere hebdomadis assignavimus.

Quartum denique est emendatio, seu declaratio quorumdam locorum Libelli Exercitiorum facta, jussu Congregationis quintæ Generalis, per diligentem collationem cum autographo Hispanico, diligenter advertanda, et sedulo notanda.

EXERCITIA SPIRITUALIA

DECEM DIERUM,

CUM QUINQUE MEDITATIONIBUS IN SINGULOS DIES.

I. Dies. — De fine. Prima Meditatio : a quo, cujus et ad quid es tu? ex secunda die secunda Meditatio. Secunda : de Motivis, mediis, impedimentis, et eadem. Tertia : repetitio utriusque. Quarta et quinta : de fine speciali Societatis. Consideratio : de Oratione mentali et vocali.

II. Dies. — De peccatis. Prima Meditatio : de triplici peccato. Secunda : de processu peccatorum. Tertia : repetitio. Quarta : de Peccatis venialibus. Quinta : de peccatis Consecratorum. Consideratio : de utroque Examine generali et particulari.

III. Dies. — De novissimis, seu de pœnis peccatorum. Prima Meditatio : de Morte, quæ habetur primo loco. Secunda : de Judicio privato ex parabola. Tertia : de Inferno. Quarta : repetitio. Quinta : de Prodigo. Consideratio : de Confessione activa et passiva.

IV Dies. — De regno Christi, et ejus ingressu in mundum. Prima Meditatio : de ipso invitante ad sui imitationem. Secunda : De Incarnatione. Tertia : de Nativitate. Quarta : de Circumcisione. Quinta : repetitio præsertim primæ. Consideratio : de Eucharistiæ Sacramento et sacrificio, ejusque adoratione.

V Dies. — De vita Christi privata. Prima Meditatio :

de Præsentatione Christi infantis. Secunda : de Regia ejus dignitate. Tertia : de fuga in Ægyptum. Quarta : de vita abscondita in Nazareth. Quinta : de Christo remanente Jerosolymis. Consideratio : de Ordine diurno.

VI. Dies. — De dispositione ad sequendum Christum. Prima Meditatio : de Vexillis. Secunda : de tribus modis humilitatis. Tertia : applicatio de vexillis. Quarta : repetitio modorum humilitatis. Quinta : de tribus classibus. Consideratio : de Statu, et officiis gestis aut gerendis.

VII. Dies. — Præparatio Christi ad vitam publicam. Prima Meditatio : de Baptismo. Secunda : de Solitudine. Tertia : de Jejunio. Quarta : de Tentatione. Quinta : repetitio. Consideratio : de Electione et Recollectione.

VIII Dies. — De vita Christi publica. Prima Meditatio : de Vocatione et electione Apostolorum. Secunda : de Sermone in monte. Tertia : de Conversatione. Quarta : de Transfiguratione. Quinta : repetitio. Consideratio : de Lectione spirituali.

IX. Dies. — De Passione Christi. Prima Meditatio : parabola sancti Bernardi. Secunda : de Doloribus internis. Tertia : De externis, ignominiis, tormentis, patientia. Quarta : de Compassione Deiparæ Virginis. Quinta : repetitio. Consideratio : de Cura corporis, in cibo, potu, somno et pœnitentiis.

X. Dies. — De vita Christi gloriosa. Prima Meditatio : de Resurrectione. Secunda : de Apparitionibus. Tertia : de Ascensione. Quarta et quinta : de Amore spirituali excitando. Consideratio : de Exercitio præsentiæ Dei.

EXERCITIA MENSTRUA.

DIES PRIMUS.

PRÆPARATIO.

Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli. (I *Reg.*, 7.)

I. MEDITATIO.

PRÆPARATIO AD FACIENDA EXERCITIA. (1)

Præludium I. — Audi Christum dicentem : *Posui vos ut eatis et fructum afferatis : et fructus vester maneat.* (2)

Præludium II. — Pete gratiam capiendi et implendi verbum hoc.

PUNCTUM I. — Considera finem sacro secessui propositum non esse tantum aliquot dies vel hebdomadas recte, quiete, pie transigere; plus temporis orationi tribuendo, in operibus pœnitentiæ te exercendo ; imo soli Deo unice vacando, quod per se summe optabile est : sed præterea et præcipue esse disponere animum ad tollendas omnes affectiones male ordinatas, et, illis sublatis, ad quærendam, inveniendam, sequendam Dei voluntatem circa vitæ statum et animæ salutem ac perfectionem : quorum alterum ad præteritum, alterum ad futurum pertinet : utrumque maximi momenti est, utpote ad æternitatem spectans ; estque negotium grave, personale, omnino et unice necessarium; adeoque bene apprehendendum, fortiter aggrediendum, studiose et constanter exequendum. Hæc vide et fac, ut moriturus fecisse voles.

PUNCTUM II. — Media ad hunc finem necessaria sunt

(1) *Gaudier, c.* 24. — (2) *Joann., c.* 15, *v.* 16.

ipsa Exercitia spiritualia. Nimirum examen conscientiæ, meditatio seu oratio mentalis, lectio spiritualis, consideratio eorum quæ cuique propria sunt; aut certa methodus horum omnium sub directione periti ducis. Quæ si singula seorsim sunt valde efficacia, quid omnia simul conjuncta et rite ordinata, in secessu longo et menstruo adhibenda? Horum quanta vis sit et efficacia, auctoritas, ratio et experientia manifestat. 1° Sunt enim a Spiritu Sancto inspirata, ex Scripturis sacris et vitæ spiritualis experimentis elicita, a Sede apostolica laudata et approbata tanquam pietate et sanctitate plena, in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum disposita, et ad spiritualem profectum valde utilia et salubria (1). 2° Ut in titulo docet Sanctus Pater, talia sunt, per quæ homo dirigatur, ut vincere seipsum possit, et vitæ suæ rationem, determinatione a noxiis affectibus libera, instituere. 3° Quorum usus societatem peperit, auxit, hactenus conservavit, totque nostros et externos ad sublimem sanctitatem evexit; adeoque nos ipsos pariter evehet, si illis recte utamur, eaque integre et cordate adhibeamus. *Non defrauderis* igitur *a die bono, et particula boni doni non te prætereat.* (2)

PUNCTUM III.—Hoc opus Dei et hominis simul. Neuter sine altero id præstabit. Deus vocat, juvare paratus: *Ducam eam*, inquit, *in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (3). Ipse hunc secessum præcipit, quem ad sanctificationem tuam destinavit: hinc fiducia. Sed homo fideliter respondere debet; alioqui nihil proderit, imo nocebit: hinc fervor. Affer igitur ad hæc Exercitia animum fortem, et omnia impedimenta superantem; alacrem, libenter et avide ipsa aggredientem; liberalem.

(1) *Bulla approb. Pauli III.* — (2) *Eccli.*, 14. — (3) *Oseæ* 2.

ad omnia paratum, et se totum Deo permittentem; solitarium, omnis creaturæ tantisper oblitum; quietum, ab omni strepitu etiam interno vacuum; silentem præterquam cum Deo; sollicitum ne qua in re desit gratiæ Dei, et ideo omnia et singula etiam minima curantem, denique constantem ad finem usque.

Colloquium. — Offer te ipsum totum : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* (1)

II. MEDITATIO.

PRÆPARATIO SPECIALIS AD HÆC EXERCITIA.

Præludia ut in I. Meditatione.

Punctum I. — Finis peculiaris in his menstruis Exercitiis intendendus est triplex. Primus est viam perfectionis serio ingredi, procurando sibi conscientiæ securitatem et tranquillitatem per confessionem generalem accuratam.

Secundus est nosse et sequi tum perfectionem specialem nostri instituti et status, tum peculiarem Spiritus Sancti vocationem et instinctum, quo singulos trahit et movet. Ad quo I juvant meditationes et lectiones, illuminando intellectum, accendendo affectum.

Tertius ad utrumque tendere per media apta, declinando a malo etiam minimo, et faciendo bonum vel maximum; a minimis incipiendo, et præsertim actiones ordinarias recte obeundo; quibus inserviunt, tum considerationes, quæ illas recte ordinant, eisque modum præscribunt, tum examina, quæ illas ad regulas exigunt pariuntque assuetudinem illas rite obeundi, præsertim longiori temporis spatio.

Hæc tria assidue præ oculis habe, *hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* (2)

(1) *Ps.* 56. — (2) *I Tim.*, 4.

Punctum II. — Motiva ad hæc Exercitia perfecte obeunda valde urgentia sunt hæc. Primum : jam mediam, forte majorem vitæ tuæ partem implevisti; nec tamen adhuc Deo perfecte servire incepisti; ergo sic age sine mora, ut perfecte conversus cum Propheta dicere possis : *Dixi* : *nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi* (1) : sed maxime per hæc Exercitia.

Secundum : illa in totum tertium annum influunt, adeoque in totam vitam et in ipsam æternitatem. Hinc maximi momenti sunt, adeoque cum omni diligentia facienda. Semel duntaxat in vita fiunt, nec, si velis, ea unquam repetere poteris : defectus ergo sunt irreparabiles.

Tertium : non est ita difficile illa accurate facere : quia nihil avocat, et omnia juvant, si unquam alias.

Quartum : inexcusabilis est quisquis illa negligenter et perfunctorie obit, quia et laborem necessario subit, et fructu caret.

Quintum : quæ et quanta consolatio tota vita, si bene facta sint! quanta et quam inutilis pœnitudo, si secus fuerit! omnem ergo sollicitudinem adhibe, nihil omnino neglige, ut quam accuratissime fiant, *ne* qua parte *desis gratiæ Dei* (2), nunquam forte redituræ.

Quid si statim ab hoc secessu esses moriturus, et totius vitæ rationem redditurus?

Punctum III. — Media ad plenum eorum successum obtinendum sunt ista. Primum : illis se dandum alacriter et libenter, *corde magno et animo volenti* (3). *Nunc* enim *tempus acceptabile, nunc dies salutis.* (4)

Secundum : illis unice vacandum, relictis aliis omnibus, obliviscere omnium præterquam Dei et tui. *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.* (5)

(1) *Ps.* 76. — (2) *Heb.*, 12. — (3) *II Mach.*, 1. — (4) *II Cor.*, 6. — (5) *Ps.* 45.

Tertium : integre insistendum, nullo omisso vel neglecto. *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat.* (1)

Quartum : fideliter, serio, studiose illis incumbendum, cum applicatione intellectus et voluntatis, et promptitudine ad omnia. *Spiritu ferventes, Domino servientes.* (2)

COLLOQUIUM. — *Domine, quid me vis facere* (3)? Domine, *doce me facere voluntatem tuam.* (4)

III. MEDITATIO.

Erit repetitio utriusque ; vel sumetur ex Gaudier, capit. 25, considerationes illas prius diligenter lectas reducendo ad quatuor puncta. Primum : est finis in Exercitiis spiritualibus propositus. Secundum : media eorumque proportio et efficacia secundum se. Tertium : vis eorum in secessu præsertim longo. Quartum : dispositio animi ad hoc opus aggrediendum.

Legentur mane in Libello prolegomena omnia, nempe Bulla, censuræ Examinatorum, et viginti Annotationes usque ad fundamentum ; in Directorio proœmium ; ex Gaudier quinque prima capita. A prandio, ex Directorio caput 10 ; ex Gaudier caput 25. Mane et vespere, si vacat, legatur caput 1, seu Instructio pro iis qui agunt tertium probationis annum ; legi potest ex libro I de Imitatione Christi, cap. 20, de amore solitudinis et silentii.

CONSIDERATIO.

DE IPSIS EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ET SACRO SECESSU.

Sumetur, 1° ex Directorii cap. 2 ; 2° ex decem Additionibus positis in Libello Exercitiorum in fine primæ hebdomadæ ; 3° ex Gaudier, cap. 6. Possunt autem omnia reduci ad tria ca-

(1) *Eccli.*, 14. — (2) *Rom.*, 12. — (3) *Act.*, 9. — (4) *Ps.* 142.

pita; nempe ad dispositiones internas, ad externa adjumenta, ad monita circa Meditationes, de quibus fiet examen particulare quotidie, juxta puncta sequentia.

§. I. — *Dispositiones internæ ad sacrum secessum fructuose obeundum.*

1° Fervor et alacritas ad hæc Exercitia libenter et avide suscipienda.

2° Fortitudo ad superandas difficultates, et omnia impedimenta occurentia.

3° Ardens desiderium profectus spiritualis et perfectionis.

4° Ingens erga Deum liberalitas, cui nihil negandum.

5° Perfecta in omnes ejus voluntates resignatio, circa consolationes, desolationes et alia omnia.

6° Magna sui diffidentia, et perfecta in Deo fiducia.

7° Seria et constans applicatio ad omnia Exercitia a principio ad finem usque.

8° Juvat sanctos patronos eligere in totum secessum, in singulas hebdomadas, imo et in dies singulos, eosque frequenter invocare.

§. II. — *Adjumenta externa ad eumdem finem utilia.*

1° Solitudo perfecta intus et foris, quasi solus sis in mundo cum solo Deo.

2° Silentium etiam perfectum; ut nihil omnino loquaris, nisi de rebus necessariis, obiter et perpaucis, et submissa voce.

3° Perfecta modestia præsertim oculorum, arcens illos ab omni curiositate.

4° Gravitas seria, risum, jocum et levitatem omnem fugiens.

5° Exacta studiositas faciendi singula Exercitia tempore præstituto.

6° Perfecta fidelitas in illis rite obeundis, in singulis implendo tempus debitum, cum debita animi applicatione.

7° Juvabit ad collectionem animi et compunctionem cordis manere in tenebris, et lucem fugere quantum fieri poterit.

8° Proderit quoque ad gratias impetrandas aliquam pœnitentiam exercere.

§. III. — *Monita propria circa Meditationes.*

Quoniam Meditationes sunt ipsa Exercitia, caput est illas studiose perficere. Quocirca:

1° Diligenter præparandæ sunt, attente audiendo aut legendo singula puncta, præviso fructu ex illis colligendo; eadem vespere ante somnum breviter revocando, et mane, ubi a somno excitaris, vel per diem, ubi appropinquat tempus meditandi.

2° Antequam meditationem aggrediaris, aliquantulum quiescendum ad colligendum animum: deinde stans revoca

diligenter memoriam Dei præsentis, ipsumque cum fide prostratus adora.

3° Ubi solus et clanculum meditaris, eum corporis situm assumere potes quem ad devotionem magis juvare putas : in publico autem cœtu alios te conformare debes quantum fieri potest.

4° Iis punctis meditandis insiste in quibus devotionem inveneris, sine anxietate transeundi ad alia puncta, donec tibi satisfeceris

5° Absolute qualibet meditatione, breviter examinandum quomodo in ea te gesseris. Si male successit meditatio vide in quo deteceris, cum pœnitudine et emendationis proposito. Si autem bene, gratias Deo age, eumdem modum alias observaturus. Nota lumina a Deo immissa, proposita ipso auctore electa, eaque confirma, et executionem pro suo tempore pete.

6° Per diem illustrationes et effectus meditationis revoca, et suaviter regusta et rumina.

7° Cogitationes et sensus meditationi conformes fove : contrarios, etsi bonos, fuge. Et solis præsentibus insistens, curiosam de futuris inquisitionem devita.

8° Ideirco lectiones præ meditationibus diei congruant et serviant.

9° Expedit identidem unam aut plures meditationes repetere, reflectendo ad meditationem prius factam, et magis insistendo locis quæ gustaveris.

DIES SECUNDUS.

FUNDAMENTUM.

Fecisti nos, Domine, ad te, et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te. (*S. Augustinus.*

I. MEDITATIO.

DE FINE GENERALI HOMINIS. (1)

Præludium I. — Specta Deum tanquam ingentem oceanum, a quo bona cuncta procedunt, et ad quem ut centrum omnia revertuntur.

Præludium II. — Pete gratiam intime cognoscendi et fortiter apprehendendi finem tuum ultimum, et ad illum toto affectu et nisu constanter tendendi.

PUNCTUM I.— *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac reveretur, eique ser-*

(1) *Lib. et Direct.*

viens tandem salvus fiat (1). Credis hoc? utique: id enim fides docet, et ratio demonstrat. Pondera igitur singula verba, eaque bene apprehende : in his enim habes, 1° finem hujus et alterius vitæ; 2° tua erga Deum officia; 3° motiva illorum urgentia.

I. Finis hujus vitæ est sanctitas; alterius, ad quam hæc via est, æterna felicitas; utriusque, Dei honor et gloria. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (2). Neque vero ad hoc natus es, ut sis dives, vel potens, vel doctus, aut ut semper vivas in terra. Hæc probe intellige, huc omnem intentionem dirige.

II. Officia tua indispensabilia sunt: 1° Deum revereri, honorem ei ut præsenti exhibendo, per cognitionem, amorem et cultum etiam externum. 2° Illum laudare ore et opere, ejus excellentiam qua potes extollendo et vulgando. 3° Servire illi, ex ejus nutu pendendo in omnibus, ejusque præceptis omnibus obtemperando. *Hoc fac, et vives.* (3)

III. Motiva eo impellentia habes : 1° In Creatore qui te de nihilo fecit et conservat, et a quo totus es, quantus es, gratitudinis et æquitatis debitum. 2° In Domino cujus es totus, justitiæ omnimodæ. 3° In Deo summæ majestatis, honestatis et religionis. 4° In ratione finis ultimi et salutis, necessitatem cum utilitate et jucunditate conjunctam. Quid his omnibus urgentius? quæ singula valde movent.

De tali ac tanto fine gaude, gratias age, illum admirare, concupisce, prosequere; de illo neglecto confundere, dole, time : demum propone in futurum eo unice collimare et conniti totis viribus.

PUNCTUM II.— *Reliqua supra terram sita creata sunt*

(1) *Lib. Exercit.* — (2) *Rom.*, 6. — (3) *Luc.*, 10.

ipsius hominis causa, ut eum ad finem suæ creationis prosequendum juvent. Unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt (1). Hoc clarum est, si revera concipis hæc esse duntaxat media et instrumenta, quibus homo uti debet ad finem suum consequendum. Recte concludes : sicut artifex in suis instrumentis solum usum spectat, materiam non attendit ; ita et te facere debere, creaturis utendo illis vel abstinendo præcise, quatenus ad prosecutionem vel consecutionem finis tui vel conferunt, vel obsunt. Conferunt autem ducendo ad Deum ; obsunt abducendo a Deo, aut ejus obsequio, et ad peccatum inclinando. Itane hactenus illis usus es ? quid in posterum ?

PUNCTUM III. — *Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes (prout libertati arbitrii nostri permissum est et non prohibitum) ita ut, quod in nobis est, non quæramus sanitatem magis quam ægritudinem ; neque divitias, paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus* (2). Mens ergo in perfecto æquilibrio statuenda et stabilienda est, ut non inclineris in partem alterutram, sed ubi par Dei voluntas, gloria, obsequium, ibi paria sint omnia. Itane dispositus es, aut semper fuisti ? adverte ad quatuor illa rerum genera sæpe recurrentia, quibus mens ab illo suo æquilibrio dimoveri potest, et ab illis cave diligenter.

PUNCTUM IV. — *Sed consentaneum est ex omnibus ea demum quæ ad finem ducunt eligere ad desiderare* (3). Hoc clare sequitur ex præmissis. Quære igitur de singulis occurrentibus cum beato Aloysio : Quid hoc ad vitam æternam ? quid ad Dei gloriam et obsequium ?

(1) *Lib. Exercit.* — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.*

quid ad sanctificationem meam et salutem? si conferunt, ea quamvis ardua, naturæ ingrata et molesta, sensui repugnantia amplectere et stringe; si obsunt, respue et fuge, quantumvis jucunda et naturæ placentia; si neutra sunt et adiaphora, neglige et contemne. Hæc vera sapientia, hæc prudentia supernaturalis; hanc unam sequere.

COLLOQUIUM.—Pete a Deo ad finem tuum ultimum serio, constanter et indesinenter tendere, et sic transire per bona temporalia, ut non amittas æterna. *Pater noster.*

II. MEDITATIO.

DE EODEM FINE.

Præludia sunt eadem.

PUNCTUM I. — Tria hæc a te exquire : *A quo, cujus, et ad quid sis?* 1° *Unde es tu?* et quæ origo tua? ante centum annos nihil eras. Unde ergo accepisti id quod es, et quod habes nunc? a te ipso nihil es, nihil habes, nihil potes, nihil agis. Hæc omnia a Deo accepisti, et indesinenter accipis, quæ nec tibi dare, nec aliunde accipere, nec ullo modo mereri posses. Sine ipso in tuo nihilo in perpetuum mansisses. Nihil ergo tibi debetur, nisi abjectio et contemptus. Dic ergo frequenter tibi ipsi : *Quid habes, quod non accepisti* (1)? Omnia quæcumque habes Deo debes, a quo uno accepisti. Redde ergo illi gratias et gloriam. *Da et accipe, et justifica animam tuam* (2); accipe, redde, cave : accipe beneficium, redde obsequium, cave abusum.

2° *Cujus es?* ut non es a te ipso, ita nec tuus es. Et licet aliquatenus sis parentum et progenitorum, a quibus originem duxisti; quia tamen et ipsi primitus a Deo sunt, et tu per ipsos a Deo es, simpliciter et absolute solius Dei es. Et quamvis ab ipso non esses, nihilomi-

(1) *I Cor.*, 4. — (2) *Eccli.*, 14.

nus illius totus esses, qui est essentialiter supremus omnium Dominus : ipse igitur est Dominus tuus et Rex tuus, tu possessio ejus et mancipium ejus. Habet in te dominium proprietatis, necessarium, summum, inalienabile, vi cujus de te pro arbitrio disponere potest tanquam de re sua, te conservare, destruere, annihilare. Dic igitur : Fiat, Domine, de me, ex me, circa me, omnes meos et mea omnia, sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, nunc et semper, et in æternum ; amen. Habet etiam dominium jurisdictionis, supremum, plenissimum, omnipotens, ineluctabile, indispensabile, per quod tibi præcipere et prohibere potest quidquid libuerit ; tibique parendi et obsequendi in omnibus necessitas incumbit. *O Domine! ego servus tuus et filius ancillæ tuæ* (1) : de hoc gaudebo et gloriabor.

Nonne huic duplici dominio te subtrahere nisus es? ah! quoties! sed frustra. *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* (2)

3° *Quorsum es?* quis est finis tuus? non tu, non mundus, non ulla creatura, sed solus Deus, qui potuit te non condere ; conditum, non potuit non ad se referre. Totus igitur et quantus es, et a Deo es, et Dei es, et ad Deum es ; ipse est principium tuum et finis ; illi uni totum te debes ; ipsi uni te totum et unice impende. In hac vita illum cognoscendo, amando, colendo, ipsi serviendo totus incumbe. *Time Deum, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo* (3). In futura vita, ad quam hæc via est, illum possidere et glorificare debes, et perfecta ejus beatitudine perfrui in perpetuas æternitates. *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (4)

(1) *Ps.* 115. — (2) *Ibid.*, 61. — (3) *Eccles.*, 12. — (4) *Joann.*, 3.

Quantum Deo debes, qui te ad talem tantumque finem creavit! gratias age; ad tam sublimia natus, quin cætera omnia contemnis? his forte inhias ita, et adhæres, ut de illis vix cogites? quis pudor! quæ insania!

Punctum II. — Ad hunc finem consequendum media Deus innumera et inæstimabilia adjecit, quæ ad tres classes revocari possunt : naturalia, supernaturalia et divina.

1° Naturalia alia sunt interna, alia externa. Interna sunt omnes facultates animæ et corporis, quæ totidem instrumenta sunt ad Deum cognoscendum, amandum, eique serviendum. Externa sunt omnes creaturæ sensibiles, quas Deus propter me creavit et conservat; eæ enim perfectiones divinas mihi manifestant, amorem ejus mihi applicant, vires suppeditant, exemplum præbent ei serviendi : *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* (1)

2° Supernaturalia, tam generalia quam specialia, tam externa quam interna. In istis sunt Scripturarum oracula, miracula, sacramenta : in illis gratia sanctificans et adjuvans, tot illustrationes in intellectu, tot inspirationes et piæ motiones in voluntate; item tot documenta, exempla et adjumenta quotidiana, quæ quisque experitur.

3° Divina : nam parum fuit Deo angelos suos ad nostram custodiam deputare : voluit Deus ipse majestatis, qui finis est noster, fieri etiam medium, et ad nos descendere, ut per ipsum ad ipsum tendas et pervenias. *Nobis datus, nobis natus* (2), et in usus nostros totus expensus : *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium;* hinc dicit : *Ego sum via, et veritas, et vita* (3).

(1) *Ps.* 118. — (2) *Hymn. Eccl.* — (3) *Joann.*, 14.

Et in eucharistiæ sacramento seipsum præbet in cibum et potum, et in sacrificium quotidianum.

Quid potuit *Deus ultra facere vineæ suæ* (1)? nonne merito expectavit ut faceret uvas? et *quid retribuis Domino pro omnibus quæ retribuit tibi?* (2)

Quomodo his omnibus mediis hactenus usus es? imo quam sæpe et quam multipliciter abusus es? vel in ipsis finem tuum constituendo, vel ipsa ad te ipsum præpostere referendo.

Punctum III. — Impedimenta a fine avertentia sunt: 1° Peccatum mortale, quo a fine in perpetuum et irreparabiliter excludimur; quod proinde summum tibi malum est, ut finis consecutio summum est bonum, secumque trahit statum damnationis et infelicitatis æternæ. 2° Peccatum veniale, quod non excludit quidem in perpetuum a fine, sed ejus consecutionem impedit et retardat, quoad expiatum sit, adeoque gravius malum censeri debet quovis alio, præter peccatum mortale. 3° Quidquid te periculo peccandi exponere aut implicare potest. Hæc tria summopere odisse, detestari et fugere debes ut summa mala. Itane hactenus fecisti? et quid in futurum?

Colloquium. Pete cum Ecclesia, *sic transire per bona temporalia ut non amittas æterna.*

III. MEDITATIO.

DE FINE SPECIALI SOCIETATIS.

Præludium I. — Specta sanctum Ignatium cum sociis ante aram in Monte-Martyrum.

Præludium II. — Pete spiritum Societatis agnoscere, et assequi finem ejus.

Punctum I. — Finis societatis petendus ex ejus Regulis Summarii Constitutionum. 2. *Finis hujus Socie-*

(1) *Is.*, 5. — (2) *Ps.* 115.

tatis est non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere. 3. *Ibi vivere, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur.* 4. *Majus Dei obsequium semper intuendo* (1). *Dei obsequio et gloriæ sese impendere.* 10, 40, 50. *Ad majorem Dei gloriam.* Reg., 17. *Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant divinæ bonitati propter seipsam, exuentes se amore omnium creaturarum, ut affectum universum in earum Creatorem conferant,* etc.

Alii igitur propriam salutem, ut christiani omnes. aut perfectionem, ut religiosi omnes; nos etiam alienam et quidem impense intendere et quærere debemus. Aliis satis sit Deum per seipsos revereri, laudare, colere : nobis propositum est id ipsum etiam per alios omnes facere. Alii Dei gloriam intendant; nos majorem, et majorem tam intensive quam extensive, sine fine et modo. In hoc quippe vocati sumus. *Videte enim vocationem vestram, fratres* (2), et divinum ac sublimem hunc finem præ oculis semper habete. Non degeneremus ab excelsis cogitationibus patrum et fratrum nostrorum.

Punctum II. — Media ad hunc eumque duplicem finem, duplicia sunt : nempe interiora, virtutum solidarum et perfectarum, rerumque spiritualium; et exteriora, doctrinæ, eloquentiæ, aliorumque talentorum, seu donorum naturalium et humanorum. Illa autem priora multo majoris momenti sunt quam hæc posteriora. *Ex istis enim interioribus ad hæc exteriora effica-*

(1) *Regul.* 2, 3, 4, 10, 40, 50, 17. — (2) *I Cor.*, 1.

etiam promanare ad finem nobis propositum oportet. Homines mundo crucifixos et quibus mundus crucifixus sit, vitæ nostræ ratio postulat (1) ; Homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint ut Christum induerent. In his requiritur paupertas apostolica, castitas angelica, obedientia cæca, intentio in omnibus semper recta et pura, oratio assidua, continua in omnibus mortificatio, et abnegatio sui perfecta.

Ad hæc conferunt tot experimenta et adjumenta in Societate præscripta, in primis hic tertius probationis annus, et hæc menstrua Exercitia. Hæc schola affectus, quæ succedit scholæ intellectus, ex qua pendet illius usus. Huic studio jam unice vacemus, huic toti incumbamus.

Punctum III. — Ad hunc finem assequendum maxima requiritur indifferentia circa multa : 1° In vita, circa *sanitatem* et *ægritudinem*. Reg., 50. 2° Circa *habitationem*, in quavis mundi plaga. *Reg.*, 3. 3° In ratione vivendi, circa *pœnitentias* et corporis afflictiones. *Reg., h. h°* In Exercitiis spiritualibus, circa *consolationes* et *desolationes*. Regul., 22. 5° Circa *gradum* in Societate. *Reg.*, 20. 6° Circa *officia* et occupationes, permittendo se Superioribus. *Reg.*, 32. 7° Denique circa *omnia*, in omnibus sinendo se regi per obedientiam ut *cadaver* et *senis baculus*. Reg., 36. Hinc sequitur etiam indifferentia circa longitudinem aut brevitatem vitæ.

Hanccne sentis indifferentiam in te? sin minus, illam tibi procura, est enim nostris et omnibus viris apostolicis necessaria, ut se *Dei ministros exhibeant, et per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem* (2), ad cœlestem patriam et ipsi contendant, et alios etiam compellant, majorem Dei gloriam semper et ubique intuentes.

(1) *Regul.* 16, *in fine Codicis Regularum.* — (2) *II Cor.*, 6.

Colloquium triplex, ad sanctum Ignatium, ad Beatam Virginem, Dei Genitricem, ad Christum, petendo spiritum Societatis.

Lectio ex Direct. cap. 1 et 3; cum reliquis usque ad 10; item 12; ex Gaudier, a cap. 7 ad 21 inclusive; ex Libello relegi possunt decem Additiones; ex Compendio P. Ludov. de Ponte, Introductio ad meditandum. Legi potest ex Imitatione Christi cap. 1 et 8, lib. 1.

II. CONSIDERATIO.

DE IIS QUÆ FIUNT AB EXAMINE SEROTINO USQUE AD ORATIONEM MATUTINAM.

1° Si non prius, tunc præparanda est crastina meditatio.
2° Si non in examine, tunc cogitandum an officio divino sit satisfactum.
3° Preces serotinæ sunt breviter persolvendæ.
4° Tempestive et modeste decumbendum, lectum ut sepulcrum subeundo.
5° Somnus Deo offerendus, ad reparandas vires in obsequium ejus.
6° Ante somnum cogita de hora surgendi, recolens puncta meditationis matutinæ.
7° Si evigilari contingat, hæc et similia menti objicienda.
8° Mane, exclusis aliis cogitationibus, statim excitanda meditationis instantis memoria.
9° Tempestive et ferventer surge, tanquam Deo vocante.
10° Inter induendas vestes, cogitationibus et affectibus meditationi congruis stude.
11° Prostratus gratias age, offer, ora, examen particulare propone.
12° Sanctissimum Sacramentum adi, adora, teque ipsum et opera diurna offer.
13° Redux quiesce paululum ante orationem, pensans quo tendendum sit.

DIES TERTIUS.

PRIMÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.

DE MULTITUDINE PECCATORUM.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. (*Ps.* 18.)

I. MEDITATIO.

DE TRIPLICI PECCATO. (1)

Præludium I. — Vide *Satanam*, cum suis *sicut fulgur de cœlo cadentem* (2)

Præludium II. — Pete peccati malitiam, ut par est, æstimare et detestari.

PUNCTUM I. — Considera primum omnium peccatorum, quod est angelorum, nempe a puris spiritibus, gratia ornatis et adjutis, in ipso cœlo, statim a creatione commissum, et divina animadversione in æternum punitum (3). Hoc fides docet; crede, et sic discurre :

1° Si angeli peccaverunt in cœlo, quanto magis homines peccabunt in terra? time ergo tibi a peccato, et cave diligenter.

2° *Si Deus angelis peccantibus non pepercit*, nec locum pœnitentiæ reliquit; *sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (4) : quanto minus parcet vermiculis? *ceciderunt stellæ de cœlo* (5), et ego pulvis quid præsumo?

3° Peccatum unicum et momentaneum statim æterni supplicii pœna secuta est; quid fiet pluribus gravibus, diuturnis, sæpius iteratis, in sanguinem Christi admissis?

4° Heu! quanta sanctitatis divinæ puritas! illam reverere. Quanta justitiæ severitas! adora, et time. Quanta lethalis culpæ enormitas! exhorresce, et treme. Sed et quanta in me divinæ misericordiæ benignitas, quæ toties peccantem hactenus sustinuit! lauda et exalta, sed vide ne abutaris; nam patientia læsa fit furor.

PUNCTUM II. — Pari modo versare circa secundum peccatum, quod est primorum parentum in paradiso (6). Recole ergo per memoriam quæ fides docet de illorum

(1) *Lib. Exercit.* — (2) *Luc.*, 10. — (3) *Ezech.*, 28. — (4) *II Petr.*, 2. — (5) *Apoc.*, 6. — (6) *Gen.*, 3.

creatione, felicitate, præcepto, transgressione, pœna, et in posteros transmissione; et crede (1). Deinde ad te reflexus, sic ratiocinare :

1° Si illi in integritate naturæ, in paradisi felicitate, tam cito, tam facile, tam turpiter, tam graviter ceciderunt, quid fiet nobis in hoc statu naturæ corruptæ, in ipso mundo, in tot vitæ miseriis et periculis, ubi omnia intus et foris ad peccandum nos incitant et impellunt?

2° Si nec ipsi pœnam evaserunt, sed cum culpa damnationem in posteros omnes transmittunt, quis evasurum se prudenter speret? qui enim sic punitur pro originali et alieno, quanto magis et gravius plectetur pro personali et proprio, præsertim sæpius iterato?

3° Si peccatum unicum, ex objecto non adeo grave, tantam in universa natura stragem et corruptionem, tam graves tamque diuturnas in omnes posteros pœnas invexit; neque gravi nongentorum annorum pœnitentia penitus expiari potuit, quanta ergo mortalis cujusvis peccati malitia! et quid merentur innumera peccata ex objecto longe graviora in eumdem Deum commissa? Pari modo circa Dei sanctitatem, justitiam, misericordiam discurre et afficere, ut prius.

Punctum III. — Considerandum sit peccatum personale alicujus ex damnatis, puta Judæ proditoris, aut alterius christiani, religiosi, sacerdotis, qui vitæ sanctitate et fervore te longe superaverit, et post vitam diu laudabiliter actam, in peccatum lethale lapsus, et in eo justo Dei judicio mori permissus, in infernum tandem prolapsus sit. Plusquam probabile est plures in inferno tales esse; et certum est in peccato lethali vel unico morientem, æternæ damnationi obnoxium esse, nec illam evasurum. Hinc conclude :

(1) *Rom.*, 5.

1° Nulla est ergo sanctitas secura, si eam, Domine, non protegis. *Qui* stat, aut *se stare existimat, videat ne cadat* (1). *Cum metu et tremore salutem nostram operemur.* (2)

2° *Si in quacumque die justus peccaverit, omnes justitiæ ejus non recordabuntur, et in iniquitate, quam operatus est, morietur* (3) ; quis a peccato sibi non timeat? quis a facie ejus non contremiscat?

3° Si peccatum mortale vel unicum, in quocumque repertum fuerit, ipsum æterni supplicii justo Dei judicio reum constituit ; quanta et quam enormis ejus malitia! illam, si potes, æstima.

4° *Misericordiæ Dei quia non sumus consumpti* (4). *Misericordias ejus in æternum cantabo, qui eruit animam meam ex inferno inferiori.* (5)

5° Sed *an ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ.* (6)

Porro reflectendo circa illud triplex peccatum, adverte primum esse spirituale, nempe superbiæ ; secundum sensuale, nimirum gulæ ; tertium vel avaritiæ in Juda, vel negligentiæ in aliis, qui *spernentes modica paulatim deciderunt* (7) ; et cave ab illis omnibus, quorum semina in te habes.

Colloquium ad Christum crucifixum novum suggerit motivum horroris peccati, pro quo expiando Deus homo fieri et mortem crucis subire debuit ; pro quo puniendo Pater æternus *nec proprio Filio pepercit* (8), *in quo posuit iniquitatem omnium nostrum* (9). *Si* autem *in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* (10)

(1) *1 Cor.*, 10. — (2) *Philipp.*, 2. — (3) *Ezech.*, 18. — (4) *Thren.*, 3. — (5) *Ps.* 88 *et* 85. — (6) *Rom.*, 2. — (7) *Eccli.*, 19. — (8) *Rom.*, 8. — (9) *Is.*, 53. — (10) *Luc.*, 23.

II. MEDITATIO.

DE PECCATIS PROPRIIS.

Præludium I. — Statue te coram Deo quasi vulneribus confossum, vinculis constrictum, sicut mortis reus quispiam duci ad tribunal solet.

Præludium II. — Pete cognoscere multitudinem et gravitatem peccatorum tuorum, eaque, ut par est, detestari. *Quantas habeo iniquitates et peccata ! scelera mea et delicta ostende mihi.* (1)

PUNCTUM I.— Ad veram sui cognitionem pertinens sit examen vitæ tum præteritæ, tum præsentis; sed in genere tantum, summa duntaxat capita delibando, nec ad particularia descendendo, ut fit parando se ad confessionem.

I. Igitur dic cum Ezechia rege : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (2), et facto imple. Recogita, inquam, annos quibus vixisti, loca in quibus fuisti, personas quibuscum egisti, officia quæ gessisti : et vide quid in singulis deliqueris contra Deum, proximum, teipsum, cogitatione, verbo, opere. Peccata tua agnosce, et confitere coram Deo; et si quod gravius est, de ipso specialiter dole, ac nota quodnam in te præcipue dominatum sit.

II. Ut cognoscas quodnam in te vitium dominetur de præsenti, 1° introspice animam tuam, et actus ejus serio discute. Vide quæ sint ordinariæ cogitationes tuæ, præsertim dum vacas ; qui sermones cum familiaribus, quæ actiones, aut omissiones frequentiores, qui lapsus quotidiani, quos ordinarie confiteris, nec forte curas emendare; 2° attende quomodo te habeas a mane ad vesperam, in iis quæ Dei sunt, in iis quæ ad religionem, ad proximum, ad teipsum pertinent: in cibo, somno, otio, negotio, corporis vel animi cura; 3° ex his actibus

(1) *Job*, 13. — (2) *Is.*, 38.

veluti rivulis ad fontem imperfectionum ascendes, et velut ex ramis ad truncum pervenies, et radicem ipsam deteges vitiorum, deinceps præcipue impugnandam.

III. Agnosce te sine fuco, et confitere sincere coram Deo cum pudore et dolore talem, qualis de facto es, superbum, iracundum, sensualem, tepidum, etc.

Punctum II. — Ad detestationem peccatorum pertinens sit excitare de illis dolorem intensum, 1° considerata ipsorum multitudine; quis enim ad tot monstra non horreat? 2° attenta cujuslibet peccati fœditate, præsertim in homine Societatis ad tantam perfectionem vocato; opponendo vitia singula virtutibus quæ inesse deberent, et quæ majoribus nostris inerant; 3° consideratis damnis inde exortis; quot et quantis bonis gratiæ et gloriæ per illa priveris? quot et qualibus pœnis in hac et altera vita obnoxius reddaris? quæ etiam pericula, damna, et scandala in proximum redundent? 4° ad majorem illorum horrorem et tui confusionem, urge has similitudines ex Scriptura et Patribus petitas, peccati mortalis cum vulnere lethali, cum catena ferrea, cum mola asinaria, cum debito decem millium talentorum, cum dæmone inhabitante, etc. Quis ergo tibi sensus?

Punctum III. —Ad perfectam contritionem tendens sit considerare peccatum quodvis ut offensam Dei, adeoque injuriam irrogatam supremæ Majestati. Est enim offensa active sumpta, teste philosopho, actio vel omissio præbens alteri causam iræ et vindictæ, qualis est omne peccatum respectu Dei; et in hac offensa concurrunt simul, 1° summa ingratitudo adversus tantum benefactorem, abutendo ejus beneficiis contra ipsum; 2° rebellio et contumacia contra supremum Legislatorem, leges ejus violando; 3° contemptus intolerabilis supremæ Majestatis, vilem creaturam ipsi præferendo

vel æquando ; 4° denique atrox contumelia præsenti et spectanti irrogata, in ipsius sinu peccando.

His omnibus expensis et intime penetratis, erumpam in affectus convenientes, dicens cum Psalte : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum ; legem autem tuam*, Domine, *dilexi* (1). Et cum Jeremia : *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte* (2) omnia peccata mea et omnium aliorum.

In colloquio extolle divinam misericordiam.

III. MEDITATIO.

DE DILUVIO UNIVERSALI.

Præludium I. — Specta aquas e cœlo cadentes, et totam terræ superficiem operientes, hominesque et bestias cum eis luctantes.

Præludium II. — Pete hinc Divinæ justitiæ severitatem, et misericordiæ suavitatem agnoscere et revereri.

PUNCTUM I. — Post prævaricationem Adæ, Deus peccata posterorum diu sustinuit patienter (3). 1° Caïn occidit fratrem suum Abel, occisus ipse a nepote suo Lamech (4). Tota Caïnitarum propago in omne scelerum genus sponte ruebat, et multos ex pia Sethi propagine, quos Scriptura filios Dei appellat, secum trahebat in ruinam, tum pravo exemplo, tum per speciosas mulieres suas, in omne genus luxuriæ promptas, ex quibus monstra gigantum genuerunt, viros famosos, mala utique fama. Monita et increpationes protoplasti et filiorum ejus Sethi, Enosi, aliorumque sanctorum Patriarcharum contemnebant. Hi vero videndo prævaricatores tabescebant, veniam a Deo supplicantes, ejus vindictam retardarunt per mille et quingentos annos, donec justi illi omnes in pace quievissent ; in quo misericordia certans cum justitia vincebat.

(1) *Ps.* 118. — (2) *Jer.*, 9. — (3) *Gen.*, 4. — (4) *Ib.*, 6.

2° Interim peccata in immensum creverunt. *Videns autem Deus quod multa malitia esset hominum in terra, et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset in malum omni tempore, et terra repleta esset* omni *iniquitate* (1), id est, omni genere injustitiæ, violentiæ, et præcipue luxuriæ; (*omnis quippe caro corruperat viam suam*) humanum quasi sensum induens, *pœnituit eum quod fecisset hominem in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ. Ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli, pœnitet me fecisse eos, et disperdam eos cum terra.* Hæc ideo leguntur, inquit sanctus Ambrosius, ut exprimatur peccatorum nostrorum malitia, quæ divinam meruerit offensam; tanquam eo usque creverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur ira et odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad vindictam.

3° Deus longe ante peccatores sæpius monuerat per patriarchas Lamech et Mathusalem, ut resipiscerent et pœnitentiam agerent; alioqui certum illis exitium minabatur. Cumque id esset frustra, per Noëmum eorum filium ipsis declaravit tempus sumendæ de iis vindictæ ad centum viginti annos esse præfixum, dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Et iterum: *Finis universæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigatis, et sic facies eam..... Ecce enim adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris in arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina inducens*

(1) *Gen.*, 6.

tecum in arcam, ut vivant tecum, masculini, femini sexus. Tolles igitur tecum, ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te, et erunt tam tibi quam illis in cibum. Fecit ergo Noe omnia quæ præceperat ei Deus; verba illius fideliter retulit, in fabrica arcæ ultra centum annos laboravit. Peccatores dictis et factis ejus increduli, ut delirum senem irridebant, Dei patientiam exasperabant, in peccatis suis usque in finem perseverantes. Nec ultima Dei monitio ad ingressum arcæ, nec spontaneus bestiarum omnium undique accurrentium ingressus, neque etiam ipse Noemi cum suis fatalis ingressus ullum ex eis ad salutarem pœnitentiam induxit.

PUNCTUM II. —Deus intentatas sæpe minas reipsa tandem executus est, universale diluvium immittens anno mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, in articulo diei præfixi et prædicti.

1° Post septem dies ultimo signatos, *aquæ diluvii* repente *inundaverunt super terram. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt* (1). Pluit continuo *quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et aquæ prævaluerunt super terram, et elevaverunt arcam in sublime. Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo; quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. Obtinueruntque aquæ terram* sine incremento et imminutione *per centum quinquaginta dies.*

2° Triste et lugubre spectaculum hominum et belluarum cum aquis pugnantium, se suosque earum furori subtrahentium, se pro posse adjuvantium, mutuam clademlugentium, excelsiora loca certatim petentium, in ipso conatu in profundum labentium, aut ibidem aut ubivis aquis suffocatorum. Audi etiam inconditos clamores pereuntium.

(1) *Gen.*, 7.

3° *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, omniumque reptilium... Universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt, et delevit eam substantiam quæ erat super terram, ab homine ad pecus. Remansitque solus Noe cum suis.* Et sic perierunt peccatores terræ, nullo salvato; et plerique impœnitentes, ut vixerant, paucis exceptis qui ipso diluvii initio vindicem Deum sentientes, cum vera peccatorum detestatione ad ipsum conversi, inflictæ ab ipso pœnæ et a se commeritæ tandem acquieverunt.

Punctum III. — Hactenus Deus ostendit justitiæ suæ severitatem in peccatores; deinceps manifestat misericordiam suam super justos.

1° Ex tot hominum millibus solus *Noe, vir justus atque perfectus, in generationibus suis invenit gratiam coram Domino* (1). Solus electus est a Domino quasi consiliarius et particeps secretorum ejus; solus qui ad seminarium humani generis salvaretur in arca cum suis ipsius merito potius concessis, quam propriæ justitiæ intuitu servatis; solus dominus mundi, pater futuri seculi; salvator generis humani per lignum et aquam, in figura Domini nostri Jesu Christi. Hujus fidem merito exaltat Apostolus ad Hebr. 11. *Justitiæ*, inquit, *quæ per fidem est, hæres est institutus.*

2° *Recordatus est autem Dominus Noe et omnium animantium quæ cum eo erant in arca. Adduxit spiritum super terram; et* paulatim *imminutæ sunt aquæ* (2). *Requievitque arca mense septimo super montes Armeniæ: decimo mense apparuerunt montium cacumina.* Et post quadraginta dies per corvum et columbam exploravit Noe semel et iterum statum terræ: et licet vidisset su-

(1) *Gen.*, 6. — (2) *Ibid.*, 8.

perficiem terræ esse exsiccatam, expectavit præceptum Domini ad egrediendum de arca, ut semper fecerat.

3° Egressus autem cum suis, statim *ædificavit altare Domino, et tollens de omnibus pecoribus et avibus mundis, obtulit holocausta Domino. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis,* et placatus dixit ei: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci. Benedixitque Noe et filiis ejus, dixitque eis: Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (1). Statuitque pactum cum illis, deditque arcum in nubibus in signum pacti perpetui de non iterando diluvio. In his omnibus agnosce et lauda Dei bonitatem et misericordiam, et cum fiducia salutis æternæ ei famulare.

III. CONSIDERATIO.

DE ORATIONE MENTALI, SEU MEDITATIONE.

Methodus ejus sumenda, 1° ex libello in Exercitio trium potentiarum, seu de triplici peccato; 2° ex Directorio, cap. 14, a num. 2; 3° ex Gaudier, pag. 92 et seq.: 4° ex Compendio Ludovici de Ponte, tum initio in introductione, tum in fine, Consideratione tertia. Hæc autem complectitur tria tempora seu tres actus, Præparationem, Meditationem et Recollectionem: de quibus hic breviter.

I. — Præparatio duplex est: 1° generalis et remota quæ est pia dispositio accedendi ad Deum, et cum ipso agendi; et consistit in collectione animi et puritate cordis, quæ per modestiam, sensuumque mortificationem, et Exercitium divinæ præsentiæ comparatur; 2° particularis et proxima, spectans talem materiam; et consistit in determinatione materiæ illius, legendo, vel reminiscendo et dividendo in certa puncta consideranda; prævisis reflexionibus, conclusionibus, affectibus, et propositis inde deducendis, necnon præludiis et colloquiis; 3° addi potest proximior, consistens in revocanda breviter eadem materia ante et post somnum, assumpta cogitatione congrua, et excitato simili motu in appetitu sensitivo; denique in quiescendo paululum ante orationem, pensando quo iturus sis et quid acturus.

II. — Meditatio ipsa tria complectitur, ingressum, progres-

(1) *Gen.*, 9.

sum et egressum ; sive initium, corpus et finem. 1° Ingressus est præparatio quædam interna et immediata, quæ fit per adorationem Dei ut præsentis, per orationem præparatoriam, qua petitur gratia bene orandi et meditandi, et per præludia rei meditandæ accommodata, quæ saltem duo sunt ; nempe compositio loci, sive imaginaria repræsentatio rei de qua agitur, et petitio gratiæ specialis quæ quæritur. Quibus duobus in re gesta tertium præludium anteponitur, nempe historia brevis rei gestæ ; 2° Corpus Meditationis complectitur ipsa puncta meditanda ; in singulis autem exercendæ sunt tres animæ potentiæ. Prima : Memoria per novam et accuratam rei intelligentiam ; si sit sententia, expensis singulis vocibus ; si res gesta, consideratis omnibus circumstantiis, adjuncto fidei actu, si fieri potest. Secunda : Intellectus seu ratio per reflexionem seu applicationem rei ad se, et discursum seu conclusionem practicam. Tertia : Voluntas per affectus congruos inde fluentes, et proposita convenientia. Ad hos meditandi actus sequitur in singulis punctis oratio seu petitio rei decentis a Deo. Petenda autem maxime ea quæ auctore Deo proponuntur, velle ut oportet, et suo tempore et loco perficere ad gloriam illius ; idque per merita Christi, per Virginis Deiparæ et sanctorum intercessionem, illos etiam interdum compellando per unum aut multiplex colloquium, ut orationem nostram adjuvent. 3° Finis seu conclusio Meditationis et fructus fit colligendo et renovando pios affectus quos in ea sensimus, proposita quæ elicuimus, et postulando gratias quibus maxime indigemus, aut quas præcipue desideramus, per fervens colloquium ex ipsa re meditata, quoad fieri potest, desumptum.

III. — Recollectio continet etiam tria. 1° Examen tum præparationis, tum ipsius Meditationis : videndo an rite servata sint omnia præcepta : ut successerit ? si bene, gratias agendo, et modum notando ad illum sequendum : sin male, veniam petendo, et causam inquirendo, ad vitandos similes defectus. 2° Considerationem eorum quæ proposita sunt, petendo rursus eorum executionem, et determinando circumstantias loci et temporis, et Angelo custodi commendando. 3° Collectionem aliorum fructuum, præsertim luminum et affectuum singularium a Deo immissorum, qui per diem identidem revocandi et regustandi sunt.

Huc pertinent repetitiones Meditationum valde utiles ad res intime penetrandas, et totum earum succum exhauriendum. Est autem hæc repetitio non præcise iterata Meditatio ejusdem rei, sed reflexio supra Meditationes factas, earum lumina, sensus et affectus revocando, recolendo, regustando. Inde in eis etiam plura colloquia.

Lectio ex eodem Gaudier, de fine Exercitiorum spiritualium seu vitæ reformatione, pag. 101 et seq. Item ex Directorio, cap. 11, 14 et 15.

Ex Imitatione Christi, lib. I, cap. 21, de Compunctione cordis.

DIES QUARTUS,

HEBDOMADÆ PRIMÆ SECUNDUS.

DE GRAVITATE PECCATORUM.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit? (*Ps.* 129.)

I. MEDITATIO.

DE GRAVITATE PECCATI IN GENERE.

Præludium I. — Assume personam militis coram rege, aut rei coram judice. (1)

Præludium II. — Pete gratiam peccatum, ut par est, æstimandi et detestandi.

PUNCTUM I. — Considera personæ peccantis vilitatem, tum absolutam, tum respectivam, utramque in suo genere summam, ex qua, cæteris paribus, crescit offensæ malitia.

I. — Igitur homo ex se nihil est. 1° Totus quantus est, a Deo est, a quo non tantum semel accipit esse per creationem, sed indesinenter accipit per conservationem. Vere *substantia mea tanquam nihilum ante te* (2). Quæ sine te nec quidquam posset, nec ageret, nec omnino subsisteret. 2° Corpus e limo terræ formatum, vas stercorum et fœdissima immunditiæ sentina, in putredinem, in vermes, in pulverem reversurum, quasi fimus est nive coopertus. 3° Anima ex nihilo creata, peccato statim inquinata; ignorantiæ et concupiscentiæ, multisque passionibus obnoxia; *prona est in malum ab adolescentia sua* (3), nihilque habet ex se, nisi mendacium et peccatum. Quid ergo vilius cogitari potest?

Inspiciam igitur et intime sentiam mei totius corrup-

(1) *Addit.*, 2. (2) *Ps.* 11. — (3) *Gen.*, 8.

tionem, pravitatem animæ, corporis fœditatem, meque tanquam ulcus et apostema ducam, unde tanta sanies peccatorum tantaque vitiorum lues defluxerit, et indesinenter defluat.

Sed quid homo comparatus Deo? imo quid est collatus cum cæteris creatis (1)? 1° Quam modicum bonum est, quod quisque habet, præ iis quibus caret, et quibus alii abundant, aut certe participant? 2° Quid ego sum comparatus cum aliis hujus familiæ, civitatis, provinciæ, societatis universæ, aut cum omnium hominum universitate? quid deinde universa mortalium multitudo, cum Angelis beatisque omnibus collata? quid tandem rei est quidquid est creatum præ ipso Deo Creatore? *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo* (2); *quasi nihilum et inane reputatæ sunt, tanquam momentum stateræ, et gutta roris antelucani* (3). 3° Quid igitur, bon Deus, ego vilissimus homuncio, et quantulus sum in conspectu tuo, qui ad hominum cœtum comparatus pene nihil sum? Et tamen qualis, quantulusque sum, infinitam majestatem tuam offendere non sum veritus! *Obstupescite, cæli, super hoc.* (4)

Punctum II. — Jam considera Dei, in quem peccatur, excellentiam, magnitudinem, unde potissimum crescit peccati malitia. Cogitabo igitur quid sit Deus, quem ita offendi, collectis, comparatisque perfectionibus attributis Deo ut propriis, cum oppositis meis vitiis et defectibus. Summam ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, cum extrema mea infirmitate, ignorantia, malitia, iniquitate conferendo. Et quis es, Domine, quem toties tam multipliciter, tam graviter offendi? Deus es optimus, maximus, universorum Dominus, conditor, moderator et rector, rex tremendæ

(1) *Job*, 9. — (2) *Is.*, 40. — (3) *Sapient.*, 11. — (4) *Jer.*, 2.

majestatis, judex vivorum et mortuorum, summum bonum, per se infinito amore dignissimum. Is, *in quem desiderant Angeli prospicere* (1), quem videre nemo potest, quin incredibili prosequatur amore. Te, inquam, lædere, te offendere potui, quem amare, colere, benedicere perpetuo debuissem! Reus læsæ majestatis tuæ, parvitatem meam immensæ magnitudini tuæ ausus sum adæquare. Potentiam tuam contempsi, imo servire feci iniquitatibus meis : sapientiæ tuæ jura et leges insanissimus perverti, justitiam tuam irritavi et provocavi, mandatorum tuorum jugum excussi cervicibus meis, bonitate infinita abusus sum, ut peccarem licentius, quia facere id me videbar impunius. Tuam denique amicitiam, te ipsum, omnesque tuas perfectiones sprevi, et impurissimis cupiditatibus meis sanctissimam voluntatem tuam posthabui; quis modus fuit insipientiæ et malitiæ meæ?

Punctum III. — Considera etiam motivum et modum peccandi, unde etiam aggravatur peccatum. 1° Propter quid Deus tantus offenditur? pro re nihili, pro levissima re, atque vanissima, pro contemptibilibus hujus mundi sordibus, propter turpe lucrum, *propter pugillum hordei et fragmen panis* (2), ob momentaneam, fœdamque voluptatem, ob inanem honoris fumum, auramque popularem. Tales mihi deos fabricatus sum.... Barrabbam. imo latronem Christo æquavi, aut etiam præposui. *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer* (3). 2° Quid si accedat quod non semel, sed sæpius, idque post pœnitentiam, reconciliationem et veniam, in pristina relapsus sum scelera, tanquam *canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti* (4)? 3° Quid, quod sponte, nullo adi-

(1) *I Petr.*, 1. — (2) *Ezech.*, 13. — (3) *Jer.*, 2. — (4) *II Petr.*, 2.

gente, consulto, et quasi dedita opera, impudenter *tetendi adversus Deum manum meam, et contra Omnipotentem roboratus sum,* quod *cucurri adversus eum extento collo, et pingui cervice armatus?* (1)

Colloquium. — Mirare Dei et creaturarum ejus patientiam; divinam extolle misericordiam; ex ipsa peccatorum gravitate et multitudine concipe fiduciam, et dic : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim* (2). Magnum est enim; et aptum infinitam tuam misericordiam commendare.

II. MEDITATIO.

DE GRAVITATE PECCATI MORTALIS.

Præludia ut in I. Meditatione. — Hic consideratur peccatum lethale sub triplici respectu. Dei, Christi et nostri.

Punctum I. — Quid est peccatum lethale respectu peccantis? est verum ejus malum, summum ejus malum, unicum ejus malum. Ex quo sequitur illud esse ab eo vere, summe et unice detestandum. Itane sentis, aut sensisti hactenus?

I. — Est verum hominis malum illud committentis. 1° Enim est proprium malum hominis, ut homo est; talis quippe constituitur ratione et libertate, qua utraque eminet brutis, et paulo minor est Angelis : peccatum autem est aberratio rationis, et abusus libertatis, adeoque malum hominis, ut homo est. 2° Privat hominem veris bonis, honestate et rectitudine naturali, gratia Dei, jure ad gloriam æternamque felicitatem. 3° Afficit veris malis, odio, iræ et vindictæ Dei obnoxium reddens, æternæ damnationis reum, summæque miseriæ debitorem constituens; quæ bona et mala proprie ad animam pertinent, potiorem hominis partem. 4° Hominem veneno suo inficit, et per se malum efficit et

(1) *Job*, 15. — (2) *Ps.* 24.

pessimum, quod nihil aliud præter peccatum facere potest. Est igitur verum hominis admittentis malum.

II. — Est summum ejus malum. 1° Cum quo cætera, quæ dicuntur mala, comparata evanescunt, et ad vitandum peccatum certo præeligenda sunt. 2° Quæ mala dicuntur et timentur ab hominibus, sunt proprie pœnæ et remedia peccatorum ; adeoque non sunt vera mala, vel saltem minora sunt peccato. Neque enim a justo judice infligitur pœna gravior delicto ; neque a sapiente medico remedium adhibetur deterius morbo. 3° Inde de illis dicit Dominus : *Nolite timere eos qui occidunt corpus..... Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam.* (1)

III. — Est unicum malum ejus proprie dictum. 1° Solum enim peccatum per se hominem malum facit, et pessimum, et omnino miserum. 2° Cætera autem, quæ vulgo dicuntur mala, si nullam cum peccato connexionem habuerint, in Sanctis esse possunt, ut in Sancto Sanctorum fuerunt, qui *per omnia assimilatus est fratribus absque peccato* (2). 3° Et Deus, qui non potest esse auctor peccati, illorum omnium auctorem se agnoscit, et profitetur. 4° Stoici solo rationis lumine nullum malum agnoverunt præter peccatum aut vitium, nullum bonum præter virtutem ; cætera autem præferenda, aut postponenda vocarunt. Solum ergo peccatum est malum proprie, et simpliciter dictum. Cætera minus proprie et secundum quid.

Punctum II. — Sed quid est peccatum mortale respectu Dei, contra quem committitur ? est offensa et injuria ipsius, et quidem vera et gravis offensa supremæ Majestatis ; adeoque malitiæ quodammodo infinitæ, saltem ordinis superioris, omnibus omnium creaturarum etiam possibilium malis longe præponderantis.

(1) *Luc.*, 12. — (2) *Hebr.*, 2 *et* 4.

1° Veram dico offensam; nam ex Philosopho offensa active sumpta, est actio, vel omissio jus et locum præbens personæ, ad quam spectat, iræ et vindictæ adversus eum a quo profecta est. Quod autem irritat, et vindictam provocat, ordinarie est contemptus aut vilipensio, seu neglectus personæ, quem præ se fert, et ostendit qui voluntati ejus obsistit, etsi forte ejus effectum non impediat. Quæ omnia perfecte conveniunt cuivis peccato mortali respectu Dei, quem irritat, et cujus vindictam provocat, per oppositionem formalem ejus sanctissimæ voluntati, et Divinæ legis violationem. Est igitur verissima et propriissima Dei offensa.

2° Quod etiam gravis sit offensa, constat, quia alias non esset peccatum mortale, sed veniale.

3° Quod sit quodammodo infinita, docent communiter theologi ex eo principio, quod gravitas offensæ crescit pro dignitate personæ quæ offenditur. Unde cum dignitas Dei sit infinita, sequitur offensam ejus esse quodammodo infinite gravem.

4° Quod quia non omnibus placet, ideo addidi, saltem ordinis superioris respectu offensæ in quamcumque creaturarum committendæ; quia est malum ipsius Dei, quod prævalet cuicumque malo cujuslibet creaturæ; sicut ex adverso gloria Dei, ut bonum Dei præponderat cuicumque bono creaturæ, imo creaturarum omnium. Ex quo evidenter sequitur, peccatum mortale respectu Dei consideratum, esse objectum omnium maxime odiosum, et super omnia detestandum.

Verum quot in hac una Dei offensa deformitates concurrant, expende: tres præcipuas attende. Prima: est summa ingratitudo adversus supremum illum Benefactorem, a quo omnia habes et speras. Summam dixi, quæ nimirum ipsis ejus beneficiis abutitur ad ipsum offendendum. Secunda: est intolerabilis supremæ illius

Majestatis contemptus; tum quia est libera transgressio Divinæ legis, adeoque contemptus Legislatoris, juxta illud : *Per prævaricationem legis Deum inhonoras* (1); tum quia est vilipensio amicitiæ et possessionis Dei, a qua per peccatum exciditur; tum quia est inordinatus amor creaturæ præ Deo, qui intolerabilem Dei contemptum includit. Tertia : non est simplex contemptus, sed atrox contumelia ipsi Deo irrogata. Est, inquam, contemptus non qualiscumque, sed facto injurioso expressus coram eo ipso, qui contemnitur. Deum enim peccator offendit et injuria afficit, præsentem, videntem, audientem, stans in sinu ejus; et quidem tali modo, ut, si posset, faceret ne Deus esset; cujus sapientiæ leges perturbat, bonitatem abjicit, irritat justitiam, violat sanctitatem, potentia abutitur, etc., ut, si Deus mori aut desinere posset, non nisi peccato hoc fieret.

Bone Deus! quomodo te tam sæpe, tam insolenter, tam enormiter offendere potui? quomodo tam turpi ingratitudini, tam injurioso contemptui, tam atroci injuriæ succumbere potui? hæc si intime penetrassem, an peccato mortali unquam consensissem? fac ut inauditam ejus malitiam ita videam, ita sentiam, ut ex animo dicere possim : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum; legem autem tuam dilexi.* (2)

Punctum III. — Quid tandem respectu Christi? 1° Vera est causa passionis et mortis ejus; 2° Est iteratio et renovatio utriusque a fidelibus; 3° In recidivis est injusta prælatio diaboli præ Christo.

1° Est vera, primaria, principalis causa ignominiarum et dolorum Christi, ejusque turpissimæ et acerbissimæ mortis. *Ipse enim vulneratus est propter iniquitates*

(1) *Rom.*, 2. — (2) *Ps.* 118.

nostras, attritus est propter scelera nostra (1). Neque Judæ proditio, neque sententia Caïphæ aut Pilati, neque Judæorum invidia atque malitia, neque tortorum immanitas, Christum morti tradiderunt, sed peccatorum nostrorum merita, sine quorum exigentia nulla eis data esset potestas desuper. *Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum* (2), ad quas ulciscendas *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (3). Imo seipsum libere obtulit ad ulciscendam Divinæ Majestatis injuriam. *Oblatus est enim, quia ipse voluit* (4), et maluit ista omnia perpeti quam peccatum impunitum relinquere. Unde dic cum Apostolo : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (5). Sic enim quilibet nostrum sibi singulariter imputare potest passionem Christi.

2° Peccatum mortale in christianis est, secundum Apostolum, iteratio et renovatio passionis Christi ; ait enim : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (6). Quanto graviori scelere quam Judæi, ex eo patet, quod hi mortalem hominem, illi Deum immortalem crucifigunt ; hi volentem et se offerentem ; illi nolentem et reluctantem ; hi sibi ignotum, *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (7), illi quem probe norunt, et ut Deum colunt et adorant, crucifigunt et in semetipsis mori cogunt. Unde ab eodem Apostolo vocantur *terra reproba, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* (8)

3° In recidivis est injusta diaboli prælatio præ Christo ipso. Qui enim utriusque jugum et servitutem expertus, partes Christi, ad quas per pœnitentiam redierat, per

(1) *Is.*, 53. — (2) *Ibid.* — (3) *Rom.*, 8. — (4) *Is.*, 53. — (5) *Gal.*, 2. — (6) *Hebr.*, 6. — (7) *I Cor.*, 2. — (8) *Hebr.*, 6.

relapsum deserit, et ad partes diaboli redit, Tertulliano judice, comparationem egisse videtur, qui utrumque cognoverit, et judicate pronuntiasse eum esse meliorem, cujus servitio sese rursus mancipare voluerit. Quid indignius?

Colloquium. — Pete a Spiritu Sancto donum intelligentiæ ad veritates istas intime penetrandas, et donum sapientiæ ad illas gustandas.

III. MEDITATIO.

DE PECCATIS CONSECRATORUM DEO.

Præludium I. — Audi Christum dicentem : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique..... Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus.* (1)

Præludium II. — Pete gratiam cognoscendi et æstimandi, ut par est, gravitatem hujusmodi peccatorum admissorum scilicet a personis Deo specialiter consecratis.

Punctum I. — Peccata personarum Deo specialiter dicatarum, ut sunt religiosi et sacerdotes, cæteris paribus, longe graviora sunt peccatis aliorum, puta laïcorum. Ratione ipsius personæ, 1° Deo specialiter consecratæ : unde continent speciem quamdam sacrilegii. Sicut peccata christiani graviora sunt peccatis hominis non baptizati; 2° Ad majorem sanctitatem vocatæ et obligatæ : unde majorem habent inordinationem; 3° habentis leges speciales communibus superadditas : unde crescit aut geminatur malitia. Hinc Concilium Tridentinum de Clericis dicit, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant. (2)

Vide quot nominibus sis Deo dicatus : baptismo, confirmatione, professione, ordinatione : ad quid vocatus; quibus legibus obligatus, et quantum inde crescant tua delicta.

Punctum II.—Peccata illorum crescunt etiam ratione

(1) *Ps.* 14. — (2) *Conc. Trid., scss.* 22, *c.* 1, *de Reform.*

status, seu corporis, ad quod personæ illæ tanquam membra pertinent. Illi enim datam fidem fallunt, et multipliciter nocent; 1° apud fratres et domesticos: nam plerumque disciplinam violant, alios exemplo corrumpunt, et ad peccandum vel sollicitant, vel animant; 2° apud exteros infamant, qui delicti unius totum ordinem affinem reddunt, et contemnunt, dicentes: *Crimine ab uno disce omnes;* 3° apud Deum, avertendo a corpore gratias speciales, providentiam favorabilem, et protectionem; et interdum accercendo pœnam omnibus communem, non solum in prælatis, sed etiam in subditis; ut patet in exemplo Achan hominis privati, qui Dei indignationem in totum exercitum concitavit (1). Hinc Sancti publicas calamitates sibi sæpe, suisque peccatis imputare solent. Si quis est in te Societatis amor, hic ostende, et vide ne illam aut debilites, aut infames.

Punctum III. — Horum peccata graviora sunt etiam in se ipsis. Nam, ex divo Thoma, peccatum crescit intra eamdem speciem ex triplici capite; 1° ex majori contemptu; 2° ex majori ingratitudine; 3° ex majori scandalo: quæ tria concurrunt in ejusmodi peccatis. Nam religiosi et sacerdotes peccant ex majori contemptu, qui sequitur ex majori cognitione peccantis. Neque enim illos ignorantia excusat, *labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem de ore ejus requirent* (2). Major quoque in illis ingratitudo reperitur, ob plura majoraque ab illis accepta beneficia, quibus non obstantibus peccant. Majus denique ex eorum peccatis scandalum sequitur. Quid enim dicent et facient seculares, si duces suos et magistros viderint peccantes? Hinc Salvianus: *Patitur,* inquit, *in nobis Christus opprobrium, patitur lex christiana detrimentum.*

(1) *Jos.*, 7. — (2) *Malach.*, 2.

Quæ omnia maxime valent in hominibus Societatis destinatæ ad alios docendos et convertendos; valent in magistris, concionatoribus, in confessariis et operariis.

Punctum IV.— In hujusmodi personis peccata non solum graviora sunt, sed etiam plura, et difficilius curabilia. Nam, 1° in illis peccatum grave raro unicum est, maxime si transit in habitum, secum enim aut post se trahit multa sacrilegia; 2° perfecta pœnitentia in ipsis difficilior et rarior, minime enim moventur iis de quibus frequenter et frigide tractant: ab assuetis non fit passio; 3° hinc sæpe in illis assuetudinem peccandi sequitur induratio cordis et mentis excæcatio.

Colloquium.—His demum apprehensis et intime penetratis, dic Domino: Peccatum *odio habui et abominatus sum; legem autem tuam dilexi* (1). Fac ut idipsum intime sentiam.

IV. CONSIDERATIO.

DE EXAMINE GENERALI ET QUOTIDIANO.

I.— Circa Examen generale. 1° Legenda sunt accurate quæ habentur in Libello Exercitiorum, et Direct., cap. 15, a num. 6, et pensanda diligenter.

2° Notanda præcipue quæ ibi habentur de discrimine peccati mortalis et venialis, de juramento, de detractione, de verbo otioso, quæ, judice Suarez, cum summa brevitate ostendunt magnam rei comprehensionem.

3° Hoc Examen magis convenit iis qui jam spirituales sunt, et ab aliis peccatis gravioribus abstinent.

4° Ad alia tria peccatorum genera quæ fiunt cogitatione, verbo et opere, adde ea quæ omissione et scandalo, seu data occasione admittuntur. Item alia tria genera, contra Deum, proximum, te ipsum.

II. — Circa examen quotidianum. 1° Lege accurate quinque puncta in Libello Exercitiorum posita et servanda.

2° Vide singulorum necessitatem, utilitatem et convenientiam.

Primi quidem ad respondendum beneficiis per gratitudinem illorumque recordatione et oppositione augendum dolorem de peccatis.

Secundi, quia ad cognitionem, detestationem et emendationem peccatorum gratia necessaria est.

(1) *Ps.* 118.

Tertii, quia juvat memoriam percurrere horas, loca, personas, negotia quæ gessimus.

Quarti et quinti, quia in his potissimum consistit fructus Examinis, nempe in pœnitudine, et emendationis proposito, quæ ad veram contritionem pertinent.

5° Consideranda hujus examinis summa utilitas, imo et necessitas ad obtinendam conscientiæ puritatem: quo solo cum sociis utebatur sanctus Ignatius tempore studiorum, et quod nostris maxime commendabat sanctus Franciscus Xaverius, in hoc perfectæ vitæ cardinem verti ratus.

4° Illud bis in die facere debemus, cum domi agimus; cum foris sumus, ut in missionibus, saltem semel vespere.

5° Nunquam omittendum. Maluisset Suarez doctrinam suam tanto tamque diuturno labore partam omnino perdere, quam conscientiæ Examen omittere.

6° Sed nun quam perfunctorie et negligenter faciendum, ut sæpe fit magno perfectionis dispendio, et falsæ pœnitentiæ periculo.

7° In Examine matutino magis insistendum exquirendis et vitandis lapsuum causis, in vespertino dolori et proposito potissimum vacandum.

8° Ad vitandum tædium, fervoremque excitandum, variæ praxes et formæ examinis adhiberi possunt, de quibus habetur Libellus Pragæ impressus.

Lectio eadem continuabitur apud Gaudier. Ex Libello leguntur Regulæ priores de discernendis spiritibus, cum Direct. illis respondente, cap. 27.

Item ex Ludov. de Pont. Introductio ad meditandum.

Item de Imitatione Christi, lib. 1, cap. 22, de Consideratione humanæ miseriæ.

DIES QUINTUS,

PRIMÆ HEBDOMADÆ TERTIUS.

DE PECCATIS VENIALIBUS.

Quasi a facie colubri fuge peccata. (*Eccli.*, 21.)

I. MEDITATIO.

PECCATI VENIALIS NATURA ET MALITIA IN SE.

Præludium I. — Finge tibi hominem, non mortuum quidem, sed languentem, minutis vulneribus plenum, morbis debilitatum, vinculisque constrictum.

Præludium II. — Pete nosse et detestari malitiam peccati venialis.

Punctum I. — Peccatum veniale, 1° dicitur parvum et leve comparative ad peccatum mortale, ut pote

multo majus et gravius; 2° sed absolute et in se non est leve malum; nam, post peccatum mortale, Dei judicio, et in rei veritate, est malorum omnium gravissimum; ut pote malum morale, ordinis superioris, proprium creaturæ rationalis ut talis, ipsam inficiens et corrumpens; 3° non tantum creaturæ, sed etiam ipsius Dei malum, ipsi summe odiosum, adeoque juste præponderans omnibus omnium creaturarum malis possibilibus.

Unde, tantum ac tale est malum, ut, teste sancto Anselmo, nec pro salute omnium angelorum atque hominum expediret fieri vel unicum peccatum veniale; ut beati omnes, si optio daretur, mallent propria gloria et beatitudine æternum excidere, quam venialiter peccare, ut denique interitus creaturarum omnium, et annihilatio mundi universi, ut est præcise malum creaturæ, haberet rationem boni si peccatum veniale vel unicum impedire posset.

Hæc certa esse fides et ratio demonstrant. An ita sensisti hactenus? corrige igitur ideam tuam, et, his intime apprehensis, tantum malum exhorre, fuge.

Punctum II. — Peccatum veniale est Dei offensa, et injuria supremæ illi Majestati irrogata, a vilissima creatura, quæ præter ipsum esse accepit ab illa, et etiam tum accipit beneficia numero et pretio infinita. Adeoque præter inobedientiam involvit ingratitudinem, et neglectum quemdam amicitiæ divinæ, quam etsi non abrumpit, debilitat tamen; ardorem charitatis restinguens, ejusque exercitium impediens. Nam arcet castos amplexus et mutuam traditionem; tollit securitatem amoris mutui, fiduciam reciprocam et intimam communicationem. Pugnat cum Dei gloria, voluntate, sanctitate et attributis omnibus. Unde Deus necessario odit peccatum veniale, sicut necessario amat se ipsum suas-

que perfectiones. Et magis illi displicet unum peccatum, quamvis veniale, quam placeant illi omnia opera nostra bona, quæ totum, quod placet, habent ex gratia.

Quomodo ergo potest qui vere amat Deum in illud consentire? aut quomodo potest velle illi displicere, ut sibi ipsi placeat? et quomodo potest Deus ipsum peccantem non odisse? Hæc comprehende et explica, si potes. Sin minus, mirare, et insaniam tuam confitere.

Punctum III.—Considera discrimen peccati mortalis et venialis. 1° In utroque idem est Deus præcipiens aut prohibens, idem homo renuens aut dissimulans, idem forte etiam objectum, puta furtum, aut convicium. Et tamen unum est mortale, reddens hominem dignum odio Dei et æternæ damnationi obnoxium; alterum veniale, non dissolvens amicitiam cum Deo, et pœnæ tantum temporali subjiciens. Unde ergo hoc discrimen? 2° Discrimen est, quod per mortale amicitia Dei, adeoque Deus ipse contemnitur, per veniale autem non; ad hunc enim contemptum et peccatum mortale tria requiruntur: objectum graviter inordinatum, materia sufficiens, et consensus voluntatis plenus atque perfectus; quorum aliquid deest in peccato veniali. Vel enim objectum per se non est graviter inordinatum, et tunc peccatum est veniale ex genere suo; vel materia est levis, et tunc est veniale ex levitate materiæ insufficientis ad mortale. Vel consensus voluntatis est tantum semiplenus et imperfectus, et est veniale ex imperfectione actus. 3° Hæc quidem speculative certa sunt; sed practice in multis difficillime cognoscuntur. Quis enim in agendo præcise et certo determinet vel materiæ levitatem, vel actus imperfectionem, in quibus si erratur, peccatum jam non est veniale, sed mortale.

Quod si post factum confessarii doctissimi et peritissimi multum laborant et sæpe errant in hoc discer-

nendo, qua securitate hoc ipse discernam in agendo, et certo sciam me tantum venialiter peccare ? igitur metu mortalis abstinebo omnino a veniali deliberato.

COLLOQUIUM.—Detestabor omnia præterita venialia ; petam veniam et gratiam cavendi futura.

II. MEDITATIO.

DAMNA ET PERICULA PECCATI VENIALIS.

Præludia ut in I. Meditatione.

PUNCTUM I. — Peccatum veniale hominem privat singularibus Dei donis.

1° Illum subtrahit speciali et favorabili providentiæ, qua Deus protegit justos sibi fideles adversus tentationes inimici et pericula hujus vitæ.

2° Liberalitatem Dei erga illum tollit vel minuit ob ingratitudinem, quæ ex divo Bernardo ipsum fontem gratiæ exsiccat, juxta illum Psalmum : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris* (1). Unde gratiæ actualis vim et copiam minuit.

3° Arcet animam, quantumvis sanctam, a beatitudine et possessione Dei, donec omnino expiatum sit ; quia *nihil coinquinatum introibit in* cœlestem Jerusalem (2), et soli *mundo corde Deum videbunt.* (3)

PUNCTUM II. — Culpa venialis, 1° tollit a peccante spiritualem animæ pulchritudinem, fumum et caliginem offundendo, et fœdam inducit maculam, qualis est scabies in facie speciosa, et oleum in veste pretiosa.

2° Animæ sanctitatem et vires labefactat, ut morbi alioqui non lethales corpus debilitant, sic ut supervenienti febri resistere non possit, et ita ad mortem disponunt.

3° A via virtutis avertit, aut in ea multum retardat, quæ sopito charitatis ardore difficilior redditur, et

(1) *Ps.* 17. — (2) *Apoc.*, 21. — (3) *Matth.*, 5.

anima ligatis et impeditis habitibus infusis in agendo retardatur.

Quis ab his pravis effectibus sibi non timeat, et cum omni sedulitate peccatum veniale non fugiat?

Punctum III. — Ad peccatum in genere inclinat multipliciter; 1° castum Dei timorem evertendo aut minuendo, quo anima a peccato salubriter avertitur; 2° inclinando inordinate ad creaturas; 3° transgressionibus assuefaciendo.

Ad peccatum autem mortale disponit,

1° Pravos habitus inchoando, qui, paulatim crescendo, ad graviores lapsus deducunt; sic ex levioribus furtis habitus furandi nascitur, qui ad graviora furta tandem inducit, et ad capitale supplicium deducit.

2° Gradatim procedendo a levioribus ad graviora; nam, sicut in corporalibus, ex levibus initiis fiunt sæpe morbi periculosissimi; ita in spiritualibus sæpius. Nam ut habet sanctus Chrysostomus: *Aspectus fortuitus sæpe ad impurissima quæque deduxit.* Nam ex aspectu risus, ex risu scurrilitas, ex scurrilitate turpiloquium, ex turpiloquio turpis operatio.

3° Non raro pro peccato putato veniali ponitur reipsa peccatum mortale, idque vel excedendo levitatem materiæ, vel pravam circumstantiam addendo, vel duo conjungendo quæ sejuncta essent tantum venialia. Ut si juramento confirmatur mendacium, quod facile est ei qui solet sæpe mentiri et jurare.

Hinc stupor, tremor, confusio, detestatio, propositum nunquam peccandi venialiter deliberate; et quæ ex subreptione accidunt, quoad poteris, cavendi. Utrumque in colloquio pete.

III. MEDITATIO.

POENÆ PECCATI VENIALIS.

Præludium I. — Specum subterraneam Purgatorii spectare.
Præludium II. — Salutarem ejus timorem petere.

PUNCTUM I. — Deus certo certius puniet peccatum veniale, vel levissimum, nec remittere poterit, salva justitia et sanctitate sua, nisi peccator se ipse puniat pœnis hic sponte susceptis, vel saltem ultro acceptis et patienter toleratis. Vide igitur quid facias, et tibi quid incumbat.

PUNCTUM II. — Deus illud sæpe punit in hac vita, ut sacræ Scripturæ testantur. Sic uxor Lothi, ob levem curiositatem, repente conversa est in statuam salis (1); Bethsamithæ, ob arcam paulo liberius consideratam, gravi plaga percussi sunt (2); Oza, propter illius contactum, mortuus concidit (3); ob numerationem subditorum a Davide præceptam, septuaginta millia peste percutiuntur (4); et, in novo Testamento, Ananias et Saphira ob mendacium subita morte puniuntur. (5)

Ex quibus merito colligi possunt pœnæ occultæ spirituales, quibus Deus peccata venialia frequenter punit in tepidis, multo graviores, magisque timendæ quam temporales. Quid ad hoc?

PUNCTUM III. — Deus certo illud punit in altera vita, pœnis Purgatorii, ut fides docet. Hæc autem sunt :

1° Privatio visionis Dei summe dilecti, ad quem anima corpore soluta toto impetu fertur, pro mensura charitatis, multo vehementius quam lapis fertur ad centrum per innatam gravitatem.

2° Carcer tenebricosus et arctus, quo anima ad diuturnum et incertum tempus detinebitur.

(1) *Gen.*, 19. — (2) *I Reg.*, 6. — (3) *II Ib.*, 6. — (4) *Ib.*, 24. — (5) *Act.*, 5.

3° Ignis, si non idem, saltem similis ei qui dæmones et damnatos torquet miris, sed veris modis, qui maculam peccati absterget, scoriam excoquet, et aurum purgatum et probatum reddet.

Cæterum, ex sancto Augustino et divo Thoma, minima Purgatorii pœna gravior est quam quidquid homo pati potest in hac vita.

Adde parabolam filii regis, qui, post expugnatos et devictos hostes, victor reversus ad patrem, alioqui amantissimum, ab ipso repellitur, et gravissime torquetur ad tempus. Hinc stupor, timor, detestatio, propositum.

Colloquium ad Christum crucifixum, petendo ejus sanguine ablui et mundari, ut emendatorio igne non sit opus.

V. CONSIDERATIO.

DE SACRA CONFESSIONE.

Desumenda ex Libello, et Directorio, cap. 11, et ex de Ponte, 1 p. Medit. 30, et Considerat. 2.

Agendum hic breviter de confessione tum generali, tum particulari, eaque vel necessitatis, vel solius devotionis et regulæ.

I. — Confessio generalis potest esse vel necessitatis vel solius devotionis.

1° Est necessitatis et veræ obligationis, quando certum est vel dubium confessiones particulares nullas, et invalidas fuisse, et tunc accurate confitenda sunt omnia mortalia quoad speciem, numerum, imo et circumstantias notabiliter aggravantes, perinde ac si nunquam fuissent declarata; nec alia interim confessio vel communio facienda est. Demum præter integritatem confessionis, contritionis veritas et perfectio maxime curanda est.

2° Si est devotionis tantum, vel fit ad directionem subeundam, vel ad fervorem excitandum, utraque potest esse minus accurata. Priori casu sunt habitus potius quam actus aperiendi. Posteriori, si non omnia, saltem graviora, et quæ majorem pariunt confusionem aperienda sunt.

3° Expedit quotannis unam facere in Exercitiis spiritualibus, afferendo examen ante factum, et expectando pro absolutione, dum te rite contritum et compunctum sentias.

II. — Confessio particularis est etiam necessitatis, cum quis

credit, aut suspicatur, seu opinatur, aut dubitat se graviter esse lapsum. Hi abusus in ea vitandi sunt.

1° Non satis curatur contritio, non satis exploratur eius veritas. Facilis quidem illa est probis, sed eadem difficilis est improbis ac perversis, qui gradatim tantum per meditationem et orationem eo perveniunt.

2° In gravioribus culpis nuda et simplex confessio probis difficilis. Quare prius accurate scribe dicenda, et post lege fideliter et integre scripta.

3° Satisfactiones medicinales injunctæ respui non possunt. Aliæ quoque rationabiles et practicabiles acceptari debent et impleri, et injunctorum insufficientia suppleri debet.

III. — Confessio puræ devotionis et regulæ ea est, in qua moraliter certum est non afferri nisi peccata venialia. In hac autem multa peccantur.

1° Ad eam acceditur animo minus collecto, quasi ex mera assuetudine.

2° In examine multum laboratur, sed frustra. Si semel in hebdomada confiteris, mediam horam: si bis, quadrantem ad summum examini impende. Habe catalogum peccatorum tibi ordinariorum, et ex illo lege quæ notaveris. Si quid extraordinarium fuerit, sponte occurret.

3° Deest sæpe vera contritio, necessaria etiam in minimis culpis. In peccatis deliberatis et per se voluntariis potest et debet esse distincta in subreptitiis: potius versari debet circa occasiones.

4° Qui in confessione vult omnia exprimere, sæpe multa dicit de quibus nec dolet nec vult emendari. Præstat pauca dicere, de quibus doleas et emendari cupias, et ab iis quæ confusionem pariunt incipere, eaque aperte declarare.

5° Si satisfactio statim impleri possit, id præstandum est, saltem cavendum ne oblivioni detur.

6° Cavendum quoque ne statim ad consuetas occupationes et distractiones redeas, et fructus pœnitentiæ per dissipationem amittas.

Legantur ex Libello notatu digna de scrupulis. Ex de Ponte, de vitiis, cupiditatibus..... Item de Imitatione Christi, lib. I, c. 6, de inordinatis affectibus; c. 8, de cautela nimiæ familiaritatis; cap. 10, de vitanda superfluitate verborum.

DIES SEXTUS,

PRIMÆ HEBDOMADÆ QUARTUS.

DE MORTE.

Statutum est hominibus semel mori. (*Hebr., cap, 9, v. 27.*)

I. MEDITATIO.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MORTIS.

Præludium I. — Statue te velut in lectulo moribundum cum omnibus circumstantiis.

Præludium II. — Pete gratiam : *Domine, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* (1)

PUNCTUM I. — Mortis idea et notio.

Quid est mori ? sæpe audisti et vidisti, forte nunquam intellexisti. Disce sancto Job dicente : *Homo cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi, quæso, est* (2) ? Mori igitur tria dicit ; 1° omnibus omnino, penitus in perpetuum, irreparabiliter ad extremam usque nuditatem spoliari ; 2° corrumpi corpus in putredinem, in pulverem redigi, et prope ad nihilum super terram ; 3° animam transire in alteram vitam, eamque æternam, felicem vel infelicem, sed summe incertam, et omnibus occultam.

Hæc evolve, revolve, expende ; tibique et aliis certo futura vivaciter apprehende et time ; imo hæc jam in te spiritualiter exequere, ut dicas cum Apostolo : *Quotidie morior* (3) omnibus et mihi ipsi.

PUNCTUM II. — Mortis necessitas. Moriendumne ? utique, hoc certo certius. 1° Fides docet. Statutum est hominibus omnibus, sine exceptione ulla. 2° Ratio evincit : quod ex elementis inter se pugnantibus compactum est, hoc aliquando dissolvendum. Naturæ lex est generalis, quod generationi, idem et corruptioni obnoxium esse. 3° Experientia, et constans omnium retro seculorum, et quotidiana eorum quibuscum et viximus et vivimus, id ipsum confirmat. Quis enim hactenus mortem evasit ? 4° Sed et in nobis responsum mortis habemus, testimonium nobis perhibente ipsa, quam sentimus et

(1) *Ps.* 12. — (2) *Job*, 14. — (3) *I Cor.*, 15.

circumferimus infirmitate, quod nascendo debitum moriendi contraximus.

Quis tot, tantisque testimoniis non credat? credisne ipse? tenesne certo tibi moriendum esse? cur igitur ita vivis, ita te geris, ac si crederes te semper esse victurum, tibi nunquam esse moriendum? sape tandem, et quod indubitatum habes, factis ostende, omnemque inordinatum tui et rerum omnium affectum exue, et dic rursus : *Quotidie morior.*

Punctum III. — Incertitudo circumstantiarum : quam certum est te moriturum, tam incertum est quando, ubi, quomodo, quo in statu sis moriturus. 1° Quando-nam? hodiene, an cras? post decendium, an decennium? prorsus nescio, Deus scit. 2° Ubinam? hic, an alibi? domi, an foris? in civitate, an in solitudine? nescio, Deus scit. 3° Quomodo? morte naturali, an violenta? ex morbo, an ex senio? subito, an dato tempore? rursus nescio, Deus scit. 4° Demum in quo statu? gratiæ, an peccati? fervoris, an teporis? Sacramentis munitus, an destitutus? plane nescio, solus Deus præscit et prævidet.

Quid hinc concludendum? quod Christus suggerit. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* (1) Latet unus dies ut observentur omnes dies; an illos observas? Quid rursus : *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet* (2). Non dicit, parate vos; sed, vos estote parati. Esne igitur nunc paratus? si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras est dies incerta; quid scis si crastinum habebis?

Punctum IV. — Unitas mortis. Quoties moriendum? semel pro semper. Si semel bene, omnia in tuto sunt; si semel male, omnia perdita sunt absque remedio.

(1) *Matth.*, 25. — (2) *Luc.*, 12.

Momentum decretorium est, unde pendet æternitas bona vel mala. Si pluries, si saltem bis mori posses, sarcires in sequenti morte culpam præcedentis; ut de mala vita, sic de mala morte pœnitentiam ageres. Nunc autem cum semel omnino moriendum sit, nihil non tentandum, ut semel bene moriaris. 1° Ad quod bene vive, est enim mors echo vitæ. 2° Sæpe et instanter pete gratiam bene moriendi per intercessionem Beatæ Virginis in Salutatione Angelica. 3° De morte ut propinqua sæpe cogita. 4° Frequenter explora an velles mori in eo statu. 5° Fac in vita quod in morte fecisse voles.

COLLOQUIUM ad Christum in cruce morientem. — Quam enim *horrendum est incidere in manus Dei viventis* (1)! tam optandum incidere in manus Dei morientis, et morientis pro nobis.

II. MEDITATIO.

DE ANGORE MORIBUNDI.

Præludium I. — Specta hominem cum morbo, morte et dæmone luctantem.

Præludium II. — Pete angorum ejus notitiam, sensum et metum salutarem.

PUNCTUM I. — Considera quæ moribundo contingunt circa corpus. 1° Dolor incomparabilis excludens cogitationes salutis : quia *illuc rapitur naturaliter mentis attentio, ubi est vis doloris,* ait S. Augustinus; et Psaltes: *Circumdederunt me dolores mortis... Prævoccupaverunt me laquei mortis* (2). 2° Stupiditas quædam et hebetudo, ac defectus in omnibus sensibus, ut nihil percipias, nullo afficiaris. 3° Horror fœdissimi sepulcri, solitudinis, putredinis imminentis. *Putredini dixi : Soror mea es...* (3). Hæc præcogita, præcave et præveni.

(1) *Heb.*, 10. — (2) *Ps.* 17. — (3) *Job*, 17.

PUNCTUM II. — Considera quæ circa animam. Angent eam præterita, præsentia et futura.

I. Memoria præteritorum. 1° Peccatorum omnium, quæ sponte occurrent, occultorum, tibi dissimulatorum, non expiatorum, quin et remissorum; nam et *de propitiato peccato noli esse sine metu* (1). 2° Temporis male vel inaniter consumpti. 3° Gratiarum quibus non respondisti, et mediorum quibus vel non usus, vel etiam abusus es. 4° Tunc apparebunt fraudes dæmonis, mundi et carnis tibi turpiter illudentis. Oh! utinam daretur telam retexere mox succidendam!

II. Intuitus præsentium. 1° Instans et inevitabilis separatio a bonis externis omnibus, a personis conjunctis et charissimis, a proprio corpore et ad illud spectantibus, idque in perpetuum. *Siccine separas, amara mors* (2)? Impugnatio dæmonum per gravissimas et molestissimas tentationes contra fidem, spem, charitatem, pœnitentiam; forte per horribilia spectra. 3° Anxietas et incertitudo an sit in statu gratiæ; an sit adhuc in statu viæ et pœnitentiæ.

III. Timor futurorum. 1° Terribilis judicii imminentis, in quo de æterna salute, aut damnatione irretractabiliter et ineluctabiliter agitur, et cujus exitus plane incertus. 2° Inferni toties commeriti, *ubi vermis non moritur, et ignis non extinguitur* (3), *pericula inferni invenerunt me, dolores inferni circumdederunt me* (4). 3° Augebit metum dæmon ingerens quod *nescit homo utrum odio an amore dignus sit* (5); *et* quod *si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt* (6)? *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* (7)

(1) *Eccli.*, 5. — (2) *I Reg.*, 15. — (3) *Marc.*, 9. — (4) *Ps.* 114 *et* 17. — (5) *Eccli.*, 9. — (6) *I Petr.*, 4. — (7) *Ps.* 54.

Hæc meditare frequenter in vita, ut minus terreant in morte.

Punctum III. — Status anxietatis et perplexitatis. Quo me vertam nescio. Progredi horribile est, regredi impossibile; consistere non sinit vis morbi et mortis. Supra adstat Judex iratus, infra sepulcrum corpori, infernus animæ; intra damnabit torquens conscientia, extra dæmones instabunt et urgebunt. Circa me omnia relinquenda, et propinqui vix ad sepulcrum comitaturi. Retro tempus elapsum nunquam rediturum, ante interminabilis æternitas nunquam finienda.

Hæc omnia collige, et cum timore et tremore nunc cogita, et fac nunc quod tunc fecisse velles, *quia tempus non erit amplius.* (1)

Colloquium ad Crucifixum cum S. Bernardo. — *Hora mortis, meus flatus intret, Jesu, tuum latus, in hac fossa me reconde, ibi cor meum absconde.*

III. MEDITATIO.

PRÆPARATIO AD MORTEM.

Præludium I. — Specta sanctum Hilarionem, aut alium Sanctum morientem.

Præludium II. — Pete gratiam sancte moriendi.

Punctum I. — Intime apprehende et clare concipe quid sit mori. Tria præcipue complectitur ex Job (1). 1° Spoliationem absolutam, universalem, æternam omnium rerum, personarum ac bonorum ad extremam usque nuditatem. 2° Hominis dissolutionem, corporis corruptionem et consumptionem, et æternam oblivionem. 3° Transitum animæ ad alteram vitam, eamque æternam, felicem vel infelicem, sed summe incertam.

Cogita hanc mutationem tibi certo eventuram, sed in circumstantiis ignotis.

(1) *Apoc.*, 10. — (2) *Job*, 14.

Punctum II. — Omni studio præcavendum, ut anima in eo puritatis gradu in migrando inveniatur, ut nulla sua culpa e cœlo excludatur, vel in perpetuum, vel ad tempus; hæc enim est prudentiæ christianæ summa. Quare, 1° vitandum omnino omne peccatum mortale : et si quod admittatur, congrua statim pœnitentia eluendum; 2° venialia quoque sedulo vitanda, non tantum deliberata, sed etiam subreptitia; 3° faciendi quoque pro commissis digni pœnitentiæ fructus, ut nihil supersit post mortem expiandum.

Quid si nunc moriendum esset? Res tuas in tuto, citra dubium et periculum, pone.

Punctum III. — Motiva consolationis in morte erunt, 1° Si mature omnia, et te ipsum præcipue, reliqueris tum affectu, tum effectu; vide cui adhæreas. 2° Si christianas virtutes in vita diligenter colueris. Quatuor præcipuæ sunt : fides, spes, charitas, humilitas; quarum motiva proin assidue meditare et actus frequenter exerce. 3° Si ad Dei nutum et beneplacitum in omnibus te conformes... *Ita, Pater...* (1) *Consummatum est* (2). 4° Si de morte ut propinqua quotidie practice cogitaveris, ad eam te comparando.

Punctum IV. — Recole sanctorum mortem in conspectu Domini pretiosam, puta SS. Martini, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Laurentii, Justiniani, etc. Eorum affectus indue, et inde exemplar bonæ mortis tibi efforma, et dic in animo : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* (3)

Colloquium ad Jesum, Mariam et Joseph, petendo bonam mortem.

(1) *Matth.*, 11. — (2) *Joann.*, 19. — (3) *Numer.*, 23.

VI. CONSIDERATIO.

DE EXAMINE PARTICULARI.

Quoad formam, sumenda est ex Libello et Directorio, cap. 13; quoad materiam, ex meditatione de peccatis propriis, et ex Gaudier, pagin. 117 et 237.

I. — Materia est vel vitium emendandum, vel virtus comparanda.

1° Si vitium extirpandum, aut defectus corrigendus incipe a defectibus externis. Deinde præfer vitium capitale, ex quo alia pullulant. Si plura videantur talia, inter ea seliges quod gravius, quod magis urget, quod aliis parit offensionem aut scandalum.

2° Divide in certa membra, seu puncta, incipiendo a facilioribus, ab operibus et verbis, ad affectus et cogitationes progrediendo.

3° Insiste singulis punctis per quindecim vel saltem per octo dies, præterita puncta simul recolendo.

4° In mutatione materiæ vita extrema, nec cito, nec leviter mutando, sed ubi est notabilis emendatio; nec eidem materiæ semper insistendo ad vitandum tædium et remissionem.

II. Debilitatis vitiis ad virtutes progredere.

1° Selige eas quæ tibi videntur magis necessariæ, et tuis passionibus et pravis inclinationibus oppositæ.

2° Singulis annis eas percurre, quæ cuilibet maxime necessariæ sunt : ut erga te humilitatem et mortificationem, erga proximum charitatem et mansuetudinem, erga Deum ejus præsentiam, intentionem gloriæ, et cum ejus voluntate conformitatem.

3° Divide eas in varia puncta, incipiens a facilioribus : singulis insistendo quindecim vel octo dies.

4° Præmitte affectus seu desideria et petitiones illius virtutis. Deinde actibus externis junge internos affectus, et quidem ex motivo talis virtutis proprio.

5° Quælibet virtus impugnat vitium sibi oppositum, et adjuvat virtutem sibi affinem.

III. — Forma seu methodus a sancto Ignatio præscripta tria tempora complectitur ad præparationem et duplicem discussionem.

Primum est matutinum, quo proponitur diligens sui custodia adversus vitium emendandum, vel par studium ad propositam virtutem exercendam, certis horis assignatis, sed ad mane tantum.

Secundum est meridianum, ad primam sui discussionem, et renovandum propositum in reliquam diem.

Tertium est serotinum, ad secundum examen et collationem defectuum annotatorum, pœna sibi pro singulis imposita, cum proposito diligentius se cohibendi, vel ferventius insistendi sequenti die.

Adde examen simile singulis hebdomadis, conferendo diem

cum die, hebdomadam cum hebdomada, minuendo in dies defectus vitiorum, et virtutum actus augendo.

Sed cave diligenter ne ista omnia perfunctorie fiant, quæ fieri debent ex sincero emendationis, progressus et totius perfectionis desiderio.

Legantur ex Libello de primo orandi modo: ex Director, cap. 37, usque ad num. 4; ex de Ponte Meditat. 1. part. Meditat. 18 et sequentibus, de vitiis, cupiditatibus: lib. 1 de Imitatione Christi, cap. 25, de meditatione mortis.

DIES SEPTIMUS,

PRIMÆ HEBDOMADÆ QUINTUS.

DE JUDICIO.

Manifestari nos oportet ante tribunal Christi. (II *Cor.*, 5.)

I. MEDITATIO.

DE JUDICIO PARTICULARI.

Præludium I. — Siste te vinctum ante tribunal Christi, medium inter Angelos bonum et malum.

Præludium II. — Pete salutarem Judicii timorem : *Confige timore tuo carnes meas.* (1)

PUNCTUM I. — Considera personas in hoc judicio concurrentes, et totis artubus treme.

I. Est persona Judicis summe terribilis, quia est 1° summe sapiens, omniscius, infallibilis; 2° summe justus et incorruptibilis; 3° in sententia perstans et immutabilis; 4° offensus et implacabilis; 5° supremus, a quo non est appellatio; 6° omnipotens, cui nulla fieri potest oppositio, vel resistentia; 7° immensus et ubique præsens, a quo non est evasio. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (2)? Dum tempus est, placa illum, ubique propitium redde. *Rex tremendæ majestatis... Juste judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis.* (3)

(1) *Ps.* 118. — (2) *Ibid.*, 138. — (3) *Eccles.*

II. Persona rei. Ego ipse, et non alius; ibi stabo attonitus et confusus, nudus, solitarius, ab omnibus desertus, cum solis operibus bonis et malis, *ingemiscens tanquam reus.* Quam longe aliter de omnibus judicabo! quam longe aliter affectus ero erga omnia! *Quid sum, miser, tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cum vix justus sit securus?*

III. Accusatores. Angelus malus de omnibus et singulis quæ, vel propria malitia aut negligentia, vel ejus instigatione commisi, vel omisi; et de aliis plurimis etiam calumniose. Bonus, de iis quæ ipso contra admonente, suggerente, aut dirigente, feci vel omisi.

Noli locum dare diabolo (1). Utinam cum S. Martino illi dicere possis : *Nihil in me funesti reperies! Neque* Angelum Dei *contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris.* (2)

IV. Testes omni exceptione majores. 1° Creaturæ omnes quibus indigne abusus es. 2° Divina sapientia. 3° Propria conscientia, quæ meridiana luce clarius ostendent tibi pudenda tua, et cogent te agnoscere, sentire et fateri quod non vis. Sequere nunc ductum conscientiæ tuæ, ne tunc insurgat contra te, teque condemnet. *Esto consentiens adversario tuo in via, ne forte tradat te judici, et judex ministro.* (3)

Punctum II. — Perpende examen ibi futurum, quod rursus summe terribile est; nam, 1° erit exactissimum et accuratissimum. Omnia expendentur, nihil omittetur, nec unicum *verbum otiosum* (4); districta dati et accepti ratio exigetur, omnium omnino donorum, talentorum, momentorum, occasionum boni, omnium item cogitationum, verborum, operum, omissionum. O homo christiane, religiose, sacerdos! *redde rationem villica-*

(1) *Ephes.*, 4.—(2) *Exod.*, 23.—(3) *Matth.*, 5.—(4) *Ibid.*, 12.

tionis tuæ (1), tot gratiarum, sacramentorum, mediorum salutis et sanctitatis propriæ et alienæ quæ habuisti aut neglexisti, aut quibus forte abusus es. 2° Erit severissimum. Omnia et singula extremo cum rigore examinabuntur et appendentur in statera divini judicii. Non substantia solum operum, sed et modus et intentio cujuslibet operis exigetur ad regulam. *Ego,* inquit, *justitias judicabo* (2) : quanto magis iniquitates ? *Scrutabor Jerusalem in lucernis* (3) ; de Babylone quid fiet ?

Quam multa opera, in quibus confidebas, apparebunt *argentum reprobum* (4)! quam multa peccata, quæ ignorabas, manifestabunt se! quam multa, quæ levia putabas, apparebunt gravia! quam multa, quæ putabas deleta, cernentur remanere secundum totum pœnæ debitum! *Quid sum, miser, tunc dicturus?* etc.

Punctum III. — Hac cognitione causæ momento facta, audi sententiam illico perferendam.

1° Duplex omnino est, utraque in Evangelio præcripta (5). Altera, summe optabilis ; altera, summe terribilis : ambas compara cum suis motivis. Utramque seorsim expende quoad verba, intimationem et executionem, ipso mortis momento factam.

2° Alterutram dubio procul excipies, sed utram? omnino incertum est ; utram tamen voles, excipies, optio tibi nunc datur ; *elige quod placet* (6), dum tempus est.

3° Vis excipere tremendam illam damnationis sententiam ? res est facilis, *lata via est* (7) ; sequere multitudinem, perge quo cœpisti pede, quo natura et concupiscentia vergit.

4° Vis excipere optabilem illam ? *fac* primum *dignos pœnitentiæ fructus* (8), deinde contende *intrare per*

(1) *Luc.*, 16. — (2) *Ps.* 74. — (3) *Sophon.*, 1. — (4) *Jerem.*, 6. — (5) *Matth.*, 25. — (6) *Jos.*, 24. — (7) *Matth.*, 7. — (8) *Luc.*, 3.

angustam portam (1), ambula cum paucis *in sanctitate et justitia omnibus diebus* vitæ tuæ. (2)

COLLOQUIUM ad Christum judicem, aut potius salvatorem. *Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ,* etc.

II. MEDITATIO.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

Præludium I. — Spectare omnes populos in valle Josaphat congregatos, et Christum venientem in nubibus cœli cum potestate magna et majestate.

Præludium II. — Petere timorem Judicii salutarem, quo illud prævèniam memet judicando.

PUNCTUM I. — Considera cum tremore omnia prævia ad Judicium universale.

1° *Erunt signa in sole et luna,* cœlis et elementis; *arescentibus hominibus præ timore.* (3)

2° Præcedet persecutio Antichristi sævissima, cum prodigiis, quibus tantum non *in errorem inducantur ipsi etiam electi, propter quos breviabuntur dies illi.* (4)

3° Succedet conflagratio universalis, inexpectata, nulli parcens, omnia igne dissolvens.

4° Ubique audietur *tuba* horrendum insonans : Surgite, mortui, venite ad Judicium.

5° *In jussu Archangeli mortui omnes statim resurgent,* (5) diversi pro diversitate meritorum.

6° Omnes boni et mali promiscue *congregabuntur in valle Josaphat,* (6) juxta montem Olivarum.

7° *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum,* (7) ut *pastor hœdos ab agnis.* (8)

8° Tunc prævio triumphali crucis signo veniet Judex Christus, sedens in nube cum potestate magna et majestate, comitantibus angelis, et cum eo sanctorum millia.

(1) *Matth.*, 7. — (2) *Luc.*, 1. — (3) *Ibid.*, 21. — (4) *Matth.*, 24. — (5) *I Thessalon.*, 4. — (6) *Joel.*, 3. — (7) *Matth.*, 13 — 8. *Ibid.*, 25.

9° *Tunc plangent omnes tribus terræ,* (1) et dicent *montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos.* (2)

Hæc omnia intimis sensibus apprehende, et time ipse, totisque artubus contremisce, *a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* (3)

PUNCTUM II. — Considera examen secuturum, ad quod maxime tria pertinent.

I. Manifestatio conscientiarum. 1° *Et libri aperti sunt, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* (4) Liber generalis est sapientia Dei ; specialis est propria cujusque conscientia. In his palam legentur et aperientur omnia peccata gravia et levia, manifesta et occulta, propria et aliena. 2° Recitabuntur verba professionis cujusque, et ad illam omnia exigentur. 3° Requiretur usus et fructus donorum, beneficiorum, talentorum, munerum. Et cui plus datum est, plus exigetur ab eo ; cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.

II. Exprobratio multiplex. 1° Dæmonum accusantium, tali die, hora, loco, hoc et illud fecisti. 2° Angelorum exprobrantium se frustra laborasse : *Curavimus Babylonem, et non est sanata.* (5) 3° Patronorum, superiorum, sodalium præcepta, monita, exempla sua objicientium. 4° Conscientiæ patentis omnibus, et invite occulta pandentis. 5° Christi ipsius dicentis : *Existimasti inique quod ero tui similis : arguam te, et statuam contra faciem tuam.* (6) Quis prudor ! quæ confusio !

III. Comparatio cum aliis, qui minus acceperunt, plus præstiterunt, aut pares minus peccaverunt ; juxta illud : *Væ tibi, Corozaïn,* etc. (7) 1° Cum infidelibus, qui talibus auxiliis adjuti credidissent ; 2° cum peccatoribus, qui paribus gratiis conversi pœnitentiam ege-

(1) *Matth.*, 24. — (2) *Luc.*, 23. — (3) *Apoc.*, 6. — (4) *Ibid.*, 20. — (5) *Jerem.*, 51. — (6) *Ps.* 49. — (7) *Matth.*, 11.

runt salutarem; 3° cum laïcis multis, qui sanctius in seculo vixerunt; 4° cum aliis nostri status, qui iisdem plane mediis eximie sancti evaserunt.

O miserrime peccator! quid ad hæc respondebis? quomodo sustinebis faciem Christi exprobrantis, qui times vultum hominis irati?

PUNCTUM III. — Considera sententiam a Judice Christo tunc proferendam, tam in malos ut puniantur, quam pro bonis, ut præmientur, juxta singulorum merita.

1° Proferetur pro bonis, sequetur contra malos; ad illorum laudem et consolationem; ad horum confusionem et desperationem; ad divinæ bonitatis et justitiæ commendationem, et providentiæ manifestationem. *Tunc laus erit unicuique a Deo*, (1) pro merito suo.

2° Utraque palam pronuntiabitur: *Venite, benedicti... Discedite a me, maledicti....*; cum suis motivis: *Esurivi enim, et dedistis*, vel *non dedistis mihi manducare.* (2)

Expende utriusque voces, et dic: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* (3)

3° Sequetur statim et infrustrabiliter plena executio. *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* (4) *Unusquisque accipiet prout gessit in corpore suo.* (5)

Hinc spes et fervor, inde metus et tremor; cum utris erit pars tua? Deus scit.

COLLOQUIUM ad judicem pro affectu. — *Juste Judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis.*

III. MEDITATIO.

PRÆPARATIO AD JUDICIUM.

Præludia ut in I. Meditatione.

PUNCTUM I. — Parabola. 1° Vir quidam tota vita versatus in negotiis publicis et periculosis, (puta in ærario

(1) *I Cor.*, 4. — (2) *Matth.*, 25. — (3) *Ps.* 118. — (4) *Matth.*, 25. — (5) *II Cor.*, 5.

ministrando) in quibus labi proclive est et facile, lapsus autem omnes capitales sunt, nihil sibi aperte conscius est, sed nec habet certam innocentiæ suæ conscientiam; multa enim illi suspecta occurrunt, quæ accusandi locum præbent, nec paratam habent excusationem.

2° Accusatur de facto in multis ab adversario ei perinfenso, sagace, potente, qui diligenter consideravit omnes vias ejus, testes contra eum adhibet etiam amicos et domesticos ejus, chartas ejus secretissimas edit, schedulas et chirographa producit.

3° Res agitur coram judice oculatissimo et severissimo, supremo et omnipotente; cui accusatus omnia debet, sed quem sæpe et graviter offendit, ut vix quicquam boni ab ipso sperare queat, omnia potius timere debeat; quem tamen neque recusare queat, nec tribunal ejus declinare possit.

4° Agitur autem de fortunis, fama, honore, vita ipsa, et quidem judicio definitivo, irrevocabili, ineluctabili, contra quod nulla datur appellatio, oppositio aut resistentia.

5° Quisnam, quæso, in tali periculo constitutus non sibi timeat? quis non toto corpore contremiscat? certe cæcus, stupidus aut amens fuerit, qui illud contemnat, parvi pendat aut negligat. Quid si amicus, frater aut pater tuus in tali periculo versaretur? Cogita quis esset sensus et animus tuus.

Punctum II. — Applicatio. 1° Tu es ille vir, qui tot a Deo talenta, tot pretiosa dona, tot gratias accepisti in vita, in horas et momenta; quorum numerus iniri nequit, singularum autem pretium inæstimabile est sanguis Christi; cujus etiam dispensatio tibi commissa est. *Si nihil tibi conscius es, non tamen in hoc justificatus es.* (1) Quin et multas dubitandi et timendi causas vides quibus vix possis respondere, et ex iis te extricare.

(1) *I Cor.*, 4.

2° Accusaris a dæmone tibi infenso, adjuvatur forte ab angelo custode tibi offenso, qui ambo omnes vias tuas diligenter observarunt. Testes contra te producunt creaturas omnes quibus abusus es, et omni exceptione majores, divinam sapientiam, et propriam conscientiam.

3° Coram Christo supremo judice vivorum et mortuorum, omniscio, omnipotente, justissimo et immutabili, a te sæpius offenso, merito tibi irato, quem nec flectere, nec recusare, nec declinare potes.

4° Agitur de regno æterno comparando, de felicitate plena et immutabili, vel adipiscenda, vel perdenda, de vitando supplicio carceris, et ignis æterni, idque judicio decretorio et ineluctabili.

5° Quis hic tibi sensus? quis timor et tremor? aut quis stupor si non sentis? quæ amentia si negligis? quis securitatem tibi præstat in tanto periculo? *Noli timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed time eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (1). *Ita dico tibi, hunc time.* (2)

Punctum III. — Conclusio et fructus. Quid faceret vir ille, si saperet, ad vitandum tale tantumque periculum?

1° Caute ambularet et sollicite circumspiceret omnes gressus suos.

2° Si quando laberetur aut peccaret, statim conaretur resurgere, et omnia penitus abolere peccati vestigia.

3° Nullum daret locum adversario, nec amicis occasionem offensæ.

4° Propitium sibi redderet et conservaret judicem, cumque modis omnibus demereri studeret.

Vade, et tu fac similiter (3). 1° Caute ambula. 2° Pec-

(1) *Matth.*, 10. — (2) *Luc.*, 12. — (3) *Ibid.*, 10.

cata declina et dele per pœnitentiam. 3° *Noli locum dare diabolo* (1), nec angelum irritare. 4° Sed præcipue stude, dum tempus est, Christum tibi propitium reddere, tuisque obsequiis assidue demereri.

COLLOQUIUM. — *Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ.*

Legantur ex Libello et Directorio duo alii modi orandi; et ex de Ponte, de præceptis Decalogi, Medit. 25.

Item, de Imitat. Christi, lib. 1, cap. 24, de judicio et pœnis peccatorum.

VII. CONSIDERATIO.

DE MANIFESTATIONE CONSCIENTIÆ.

1° Obligatio manifestandi conscientiam Superioribus est substantialis Instituto Societatis, utpote expressa in formulis oblatis summis Pontificibus, et ab ipsis approbatis; sæpe, serio et graviter commendata in constitutionibus, congregationibus, et inde translata in Summarium constitutionum, § 40.

2° Omnes omnino subditi Societatis tenentur se manifestare superioribus immediatis, vel mediatis.

3° Finis manifestationis est quintuplex; 1° spirituale bonum subditi; 2° unio inter superiores et inferiores; 3° facilior et suavior gubernatio Societatis; 4° bonum universale totius corporis; 5° gloria Dei inde resultans.

4° Materia complectitur omnia interiora et exteriora, tam bona quam mala, præsertim expressa in formula.

5° Modus ex fine constat; 1° debet enim fieri sub sigillo confessionis aut secreti, vel quacumque ratione subdito placuerit, et ad majorem ejus consolationem fuerit; adeoque suaviter et sponte, non coacte; 2° fieri debet ex motivo proficiendi in spiritu, cum magna humilitate, puritate; id est simplicitate, candore, charitate, fiducia, et Dei amore, et zelo gloriæ ejus.

6° Formula, seu instructio ad reddendam conscientiæ rationem, in Codice regularum inserta, constans tredecim punctis, percurrenda est cum explicatione patris Gaudier et patris Lancicii. Ex qua pater Joannes Dirking, in horologio Scholasticorum, refert ad secundum punctum dicendum, qui servata vota et lapsus indicandi. Pater Mutius anno 1629 rescripsit etiam cogitationes mortales saltem in genere aperiendas esse.

Ad 3 p. nota, inquit, non satis esse propensiones et tentationes aperire, sed etiam ipsa peccata explicanda esse; quod innuitur illis verbis (re nulla qua Dominum offenderint celata) intellige in genere tantum lapsus esse indicandos; v. g.

(1) *Ephes.*, 4.

succubui in hoc vel illo raro aut sæpe. Et ita Generales Claudius et Mutius sæpe responderunt.

7° Verum notandum hæc mitigari per Reg. 41 Summar. quæ sic habet : *Nullam debent celare tentationem quam Præfecto rerum spiritualium, vel confessario, vel superiori non aperiant. Imo vero totam animam suam illis manifestam esse pergratum habeant, nec solum defectus aperiant, sed etiam pœnitentias et mortificationes, et devotiones, et virtutes omnes, voluntate pura optantes ab eis dirigi, sicubi a rectitudine defecterunt, nolentes, proprio suo sensu duci, nisi conveniat cum judicio illorum quos Christi Domini loco habent.....* Cæterum pro reverentia, qua semper Societas coluit Sacramenti inviolabile sigillum et libertatem, omnes Superiores diligenter cavere debent ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis extra confessionem utatur notitia per confessionem habita. Ordin. c. 5, § 6. Item sigillum secreti naturalis in hac materia censetur inviolabile in Societate.

DIES OCTAVUS,

PRIMÆ HEBDOMADÆ SEXTUS.

DE INFERNO.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? (*Is.*, 33.)

I. MEDITATIO.

DE POENIS INFERNI IN GENERE.

Præludium I. — Descende in Infernum vivens, et locum horroris tibi finge, *stagnum ignis ardentis sulphure.* (1)

Præludium II. — Pete has pœnas intime apprehendere; ut si minus justitiæ amor te in officio contineat, saltem gehennæ timor a peccato te coerceat.

PUNCTUM I. — Est applicatio sensuum ad illas pœnas. Ex Libello, 1° Intuere loci horrorem sempiternum. Vastam specum, tenebricosam sub luce maligna, *stagnum ardens pice et sulphure* (2), damnatos in eo natantes, se invicem discerpentes, miserorum fœditatem, horrenda dæmonum illos terrentium et torquentium spectra : hæc sunt inferorum spectacula.

2° Audi inconditos clamores, ejulatus, maledicta,

(1) *Apoc.*, 19. — (2) *Ibid.*

blasphemias in Deum et sanctos; hi concentus inferorum.

3° Loci graveolentiam ex pice et sulphure, ex tot vivis cadaveribus illic inclusis olfactu persentisce : hæc erebi unguenta et odores.

4° Gustu, præter rabidam famem et ardentissimam sitim, experire et percipe *fel draconum amarissimum, et venenum aspidum insanabile* (1), quæ *condita sunt* apud Deum, *et signata in thesauris* justitiæ ejus : hæc sunt orci epulæ.

5° Tange demum flammas illas quibus animæ ipsæ comburuntur; imo quibus et ipsi spiritus torquentur miris, sed veris modis; senti intime, vel successive, vel etiam simul et semel, ignis ardorem et frigoris asperitatem : hæc Tartari deliciæ.

His omnibus viva fide apprehensis et intimis sensibus perceptis, concipe : 1° divinæ sanctitatis puritatem; 2° justitiæ severitatem; 3° inæstimabilem peccati malitiam; 4° divinæ in te misericordiæ magnitudinem admirare, adora, exalta; 5° Propone omnes sensus tuos sedulo et constanter mortificare in pœnam præteritorum, futurorum cautionem.

Punctum II. — Applicatio potentiarum animæ ad considerandas et expendendas harum pœnarum qualitates. Omnes igitur mentis nervos intende ad explorandam earum universalitatem, continuitatem et æternitatem.

I. Universales sunt : 1° ex parte sui... omnes omnino pœnæ confluunt in hunc *locum tormentorum* (2), quidquid uspiam pœnarum inveniri aut cogitari potest, ibi invenitur; ibi adest omne supplicium, nullum deest supplicium. *Ibunt hi in supplicium* (3); 2° ex parte subjecti.... damnatum cruciant in omnibus corporis par-

(1) *Deuteron.*, 32. — (2) *Luc.*, 16. — (3) *Matth.*, 25.

tibus, nulla est quæ proprio supplicio careat; 3° ex parte modi cruciandi, quælibet mirabiliter cruciatur, pœnis etiam contrariis. *Ad calorem nimium transeunt ab aquis nivium* (1). Oculus ducentis morbis sibi propriis torquebitur; si non formaliter, certe eminenter.

II. Continuæ sunt, sine intermissione, sine imminutione, sine levamento, sine solatio. *Non habebunt requiem die ac nocte* (2), sed indesinenter eadem vi torquebuntur *Dives* (3) ille a bis mille annis guttulam petit, et guttula negatur, minimum utique solatium. Hinc puræ sunt, non quales nostræ solatiis quibusdam permixtæ, et fatiscentis saltem naturæ morulis interpolatæ.

III. Æternæ sunt, sine fine, sine ulla evadendi spe, sic ut totum æternitatis pondus damnato singulis momentis incumbat. Cogita non annorum, sed seculorum myriades, et eas per alias myriades multiplica quoties libuerit, non invenies æternitatis nec finem, nec imminutionem. Cogita ingentem globum æneum toti firmamento æqualem, miseri homuncionis humeris superimpositum, et illi toto suo pondere incumbentem. Quis hoc capiat? Æternitas est duratio interminabilis, semper præsens, nunquam finienda. Quam terribile est semper ardere, et nunquam consumi! minima mala diuturnitate intolerabilia sunt ; quin et deliciæ ipsæ duratione in supplicia vertuntur; quomodo ergo *habitare poteris cum igne devorante, et cum ardoribus sempiternis* (4)? Hinc desperatio, fletus, stridor dentium; *desiderabunt mori, et mors fugiet ab eis.* (5)

Compara pœnas illas cum pœnis hujus vitæ, in qua sunt mala mixta bonis. Hæ sunt partiales, limitatæ, interpolatæ, mixtæ, eo breviores quo acriores, et longissimæ tandem morte finiendæ; item, cum molestiis

(1) *Job*, 24. — (2) *Apoc.*, 4. — (3) *Luc.*, 16. — (4) *Is.*, 33. — (5) *Apoc.*, 9.

religiosæ disciplinæ. Has ergo omnes suscipe, nec tantum sine querela aut murmuratione, sed etiam cum gaudio et gratulatione tolera, qui pœnas inferni toties commeruisti : quid faceret damnatus, si daretur ipsi pœnas infernales pœnis hujus vitæ redimere? *Vade et tu, et fac similiter.* (1)

PUNCTUM III. — Inquisitio personarum quibus paratus est infernus. Est quidem paratus *diabolo et angelis ejus* (2), ut ait Dominus; sed et hominibus qui eos sequentur.

1° Omnibus et singulis in peccato mortali vel unico morientibus, quicumque tandem illi sint, *non enim est acceptio personarum apud Deum* (3). Nemo autem est hominum, quamtumvis sancte viventium, qui non possit peccare mortaliter, et in peccato suo mori. Nemo ergo est qui infernum timere non debeat. An et tu illum times? quis te securum reddit?

2° Plerisque hominibus, etiam fidelibus, timoratis, et piis etiam religiosis; nam in omni statu et professione *multi vocati, pauci vero electi.* (4) Quis non magis contremiscat? vive ergo cum paucis, ut merearis salvari cum paucis ; vide an sis *ex pusillo grege.* (5)

3° Quisquis est in peccato mortali, est in statu damnationis et in periculo proximo inferni. Quomodo ergo potest quiete vivere, aut secure dormire? sed quis scit *utrum amore an odio dignus sit?* (6) quis ergo non merito infernum timeat?

4° Quisquis vel semel peccavit lethaliter, non est certus se esse extra statum damnationis; cum sit certus se peccasse, nec sit certus se congruam pœnitentiam egisse. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* (7)

(1) *Luc.*, 10. — (2) *Matth.*, 25. — (3) *Rom.*, 2. — (4) *Matth.*, 21. — (5) *Luc.*, 12. — (6) *Eccl.*, 9. — (7) *Eccli.*, 5.

Vide quot titulis infernum timere debeas; time ergo, et sic time ut effugias.

COLLOQUIUM. — Dic cum sancto Augustino : *Domine, hic seca, hic nihil mihi parcas, modo in æternum parcas.*

II. MEDITATIO.

DE POENIS INFERNI IN SPECIE.

Præludia ut in I. Meditatione.

PUNCTUM I. — Pœna damni. Qualis et quanta sit ex sequentibus collige.

1° Est jactura seu privatio in perpetuum visionis Dei, summi et infiniti boni, finis nostri ultimi, probe noti, summe amabilis, ardentissime concupiti, eaque æterna et irreparabilis.

2° Est privatio societatis Christi, Deiparæ, Angelorum, sanctorumque omnium.

3° Est perpetuum exilium ex cœlesti patria, civitate sancta Jerusalem, aula et regno Dei.

Ad quæ omnia jus habebas acquisitum ex creatione, baptismo, religiosa vocatione et professione, sacerdotio, tot gratiis et meritis, tot denique titulis.

Quis hinc dolor, quæ afflictio animi? *Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet, et tabescet; desiderium peccatorum peribit.* (1)

Quanto gravior hæc pœna futura est in religioso, sacerdote, viro apostolico, ad majorem perfectionem vocato et evecto; pluribus et majoribus donis et gratiis ornato, ac proinde majori gloria potituro?

Cogita dolorem Moysis cum dixit ei Dominus, ostendens terram promissam : *Hæc est terra, vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.* (2) Cogita et illud dictum Absalon : *Obsecro ergo ut videam faciem Regis : quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* (3)

(1) *Ps.* 111. — (2) *Deuteron.*, 34. — (3) *II Reg.*, 14.

PUNCTUM II. — Pœna sensus. Omissis aliis innumeris, ejus magnitudinem hinc æstima. Sensus doloris crescit ex tribus : ex activitate agentis, ex imbecillitate patientis, et ex applicatione utriusque. Quarum trium nulla potest esse major quam hic. Nam

1° Vis activa torquens est infinita, nempe omnipotentis Dei ; *scietis quia ego Dominus percutiens.* (1)

2° Vis patientis ad resistendum summe infirma; passibilitas enim cum immortalitate est dos specialis corporum damnatorum; ut impassibilitas corporum beatorum.

3° Applicatio utriusque perfectissima ; est enim intima, totalis, inseparabilis.

Crescit autem pro ratione dignitatis, et abusus gratiæ. Nam *potentes potenter tormenta patientur* (2). Et pro mensura adhæsionis ad creaturam, juxta illud : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (3).

PUNCTUM III. — Vermis non moriens, seu remorsus conscientiæ alitur his consideratis.

1° Mea culpa in has pœnas incidi, illas sat facile vitare potui, et nolui. Quis dolor! quæ pœnitudo! sed quam inutilis!

2° Tot media salutis habui, hæc in totidem instrumenta damnationis converti. Hæc insania mea!

3° Hæc omnia in æternum sine cessatione, sine imminutione perferam. Desperatio, fletus, stridor dentium.

4° Quid vir apostolicus? alios salvos feci, me ipsum perdidi; alios docui, me ipsum non docui; *postquam aliis prædicavi, ipse reprobus factus sum* (4) ; *cœpi ædificare, et non potui consummare* (5). Quæ confusio !

Recole quæ impii et peccatores dicant, Sap. 5. *Pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes* di-

(1) *Ezech.*, 1. — (2) *Sapient.*, 6. — (3) *Apoc.*, 18. — (4) *I Cor.*, 9. — (5) *Luc.*, 14.

cunt intra se : *Hi sunt quos habuimus in derisum ; nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, lassati sumus in via iniquitatis... Quid nobis profuit superbia? transierunt illa omnia.*

COLLOQUIUM. — *Utinam saperent et intelligerent, ac novissima ista providerent.* (1)

III. MEDITATIO.

DE DAMNATIONE RELIGIOSORUM ET SACERDOTUM.

Præludium I. — Specta Religiosum in flammis ardentem, et audi clamentem : *Crucior in hac flamma.* (2)
Præludium II. — Pete timorem damnationis salutarem.

PUNCTUM I. — Religiosi et sacerdotes, cujuscumque instituti, damnari possunt.

1° Multa et mira et vera dicuntur de bono status religiosi, et de prætensa securitate salutis æternæ religiosorum. Nihilominus certum est et indubitatum, nullum esse religiosum qui damnari non possit. Quilibet enim, quantumvis religiosus, et cujuslibet ordinis, potest adhuc mortaliter peccare, et mori in suo peccato, adeoque damnari.

2° Jactantur prætensæ revelationes morientibus in certis ordinibus æternam salutem certo promittentes. Quæ si simpliciter et absolute accipiantur, merito suspectæ sunt. Et ut veræ sint intelligi debent sub conditione, si juxta Regulas et Instituta sua vixerint, aut congruam, saltem in morte, pœnitentiam egerint. In quo nihil mirum, nec ad hoc opus est speciali revelatione. Idem enim de quolibet fideli cum proportione credendum est.

3° Dicit Christus Apostolis, tanquam amicis, ut unice timeant damnationem : *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc*

(1) *Deuteron.*, 3. — (2) *Luc.*, 16.

non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. (1) Atqui inanis esset iste timor, si Apostoli damnari non potuissent. Et Paulus immerito et inaniter *castigaret corpus suum, ne forte postquam aliis prædicavisset, ipse reprobus fieret.* (2) Quod si nec dici, nec cogitari potest, a fortiori id ipsum timere debent omnes religiosi et sacerdotes, nisi forte Jesu Christi Apostolis præferri velint. Hoc igitur Christi verbum tibi dictum puta, et sæpe apud te reputa.

PUNCTUM II.— Si non certum, saltem admodum verisimile est non paucos religiosos et sacerdotes ex singulis quibusque ordinibus de facto fore damnandos.

1° Ex schola Christi, ex duodenario apostolorum ab ipso electorum et formatorum collegio, unus Judas Iscariotes damnatus est. Quæ congregatio potest cum illa comparari? et quæ non idem sibi suisque timeat?

2° Sanctus Joannes Chrysostomus dicebat : *Non arbitror multos esse sacerdotes qui salventur, multo plures qui damnentur.* Quod colligebat ex sublimitate sanctitatis sacerdotalis, a qua facile est deficere, quod non fit sine crimine. Idem dici posset de sanctitate religiosorum, qui nunc plerique sacerdotio initiantur. Sed minus dico; nempe non paucos, vel, si vis, saltem paucos, ex singulis sacris cœtibus esse damnandos. Hoc plusquam probabile est.

3° Non pauci ex illis promissum perfectionis studium negligunt, et prope seculariter vivunt. Non pauci in peccata gravia labuntur, de quibus vel raro, vel nunquam congruam agunt pœnitentiam; quorum salus vix speranda, damnatio certo timenda est.

(1) *Luc.*, 12. — (2) *I Cor.*, 9.

4° Si non multi, saltem non pauci ex illis sunt arbores steriles, infructuosæ, bis mortuæ, excidio et incendio dignæ. *Omnis* enim *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (1), in ignem inextinguibilem.

Jam vero si vel pauci damnandi sunt, omnes merito timere debent sibi ipsis. Si vel unus ex singulis congregationibus, singuli cum apostolis, de uno proditore admoniti, dicere debent: *Numquid ego sum, Domine* (2)? hoc ipsum dic et tu cum illis cum timore et tremore.

Punctum III.—Religiosi et sacerdotes damnati multo gravius cruciabuntur quam alii.

1° *Potentes potenter tormenta patientur, fortioribus autem fortior instat cruciatio.* (3)

2° Quorum peccata sunt graviora, eorum quoque supplicia graviora sunt. At religiosorum et sacerdotum peccata sunt graviora, ob majorem ingratitudinem, majorem contemptum et majus scandalum; et sicut christianus gravius punietur quam infidelis, ita religiosus et sacerdos quam laïcus.

3° Singulæ pœnæ in iis crescunt. Pœna damni ob majorem gloriam ad quam destinati et vocati erant, et a qua sua culpa defecerunt. Pœna sensus ob turpiorem adhæsionem et abusum creaturarum. Vermis etiam: qui alios salvos fecit se ipsum perdidit, quod verebatur Paulus.

Ad majorem confusionem cogita degradationem actualem sacerdotis ad supplicium rapti, eamque sacerdoti damnato applica. Hunc, prius dæmonibus terribilem, dæmonum turba circumstans irridebit et contemnet; singuli singula illi ornamenta eripient, eumque omnibus sacerdotii insignibus spoliabunt. Quæ scommata!

(1) *Luc.*, 3. — (2) *Matth.*, 26. — (3) *Sapient.*, 6.

quæ irrisiones! quanta sacerdotis ab iis conculcati confusio! quam tragicum spectaculum! dicent illi : *Detracta est ad inferos superbia tua; tu nostri similis factus es* (1), imo infra nos abjectus es. Et hoc quia, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* (2)

COLLOQUIUM. — Pete semper et unice timere eum *qui potest animam et corpus perdere in gehennam.*

Continuabitur Lectio de vitiis capitalibus.

Lege etiam ex Scripturis : *Sap.*, cap. 5; *Luc.*, 16; de *Imitatione Christi*, lib. I, cap. 23 et 24.

VIII CONSIDERATIO.

DE PRAXI MORTIFICATIONIS SENSUUM, PASSIONUM, PRAVORUM HABITUUM ET LINGUÆ.

Huc pertinet Regula Summarii 12 : *Majus ac impensius studium cujusque sit quærere in Domino majorem sui abnegationem, et continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem.*

Huc etiam referendæ sunt Regulæ modestiæ, silentii et infirmorum.

1° Circa sensus, lege Summarii Regulam 29: *Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum (oculorum præsertim, aurium et linguæ) ab omni inordinatione custodire.* Noverat sanctus Fundator, utriusque militiæ gnarus, quantum ex negligenti portarum custodia periculum oriatur. *Ascendit mors per fenestras;* (3) id est per sensus, interprete sancto Gregorio Magno. Unde visus nunquam defigendus est in vultus alienos, præsertim sequioris sexus. *Averte faciem tuam a muliere compta.* (4) *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* (5) Apage quoque odores et dulciaria quæ effeminant. Omnium vero diligentissime custodiendus est tactus, omnium periculosissimus; unde ex Regula 34 communi: *Nemo alium, etiam joco, tangat.* Denique eo enitere, ut sensibus ad necessaria tantum utaris, eisque superflua, quantum potes, deneges.

2° Circa passiones, recole illud Jeremiæ, c. 1: *Constitui te, ut evellas et destruas.* Peccata radicitus evellenda, passiones destruendæ per conculcationem, ut herbæ noxiæ; neque enim ipsæ proprie evelli possunt, ut apathiam Stoicorum obti-

(1) *Is.*, 14. — (2) *Ps.* 48. — (3) *Jer.*, 9. — (4) *Eccl.*, 9. — (5) *Job*, 3.

neamus, ut notant sancti Patres. Sunt tamen destruendæ tanquam omnium fere peccatorum radices; parum est ramos resecare si non attendas radicem; nec rivulos exsiccabis fonte jugiter scaturiente. Sunt autem passiones, ex divo Thoma, *motus sensibiles potentiæ appetitivæ ex imaginatione boni vel mali;* dicuntur a Græcis πάθη, a Tullio *perturbationes.* Sex sunt in appetitu concupiscibili; amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia: in irascibili, quinque; spes et desperatio, audacia et timor, et ira: quorum omnium fons et caput est amor sui inordinatus. Sic autem debellandæ sunt gradatim: 1° ut, quavis infestent, nunquam tamen te ad peccatum pertrahant; 2° ut ne quidem in proximum peccandi periculum conjiciant; 3° ut motus earum non sit vehemens; 4° ut mox generose comprimantur; 5° ut raro et leviter contra rationem insurgant, 6° ut a malo ad bonum traducantur, et virtutem juvent ut in sancto Ignatio et aliis factum est.

5° Circa pravos habitus quos contraximus passiones non refrenando, et tentationibus non resistendo. De his intellige illud: *Ut disperdas et dissipes*, maxime per acquisitionem habituum contrariorum. Hoc autem fieri nequit uno impetu, sed paulatim et per partes, exercendo frequenter actus contrarios et excessus sensim minuendo, donec perveniatur ad justam mensuram, ut fecit sanctus Dorotheus cum Dositheo. Quare statue, et dic cum Davide: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant.* (1) Ad hæc, 1° contrariis actibus inclinationem in malum minue, ut ferme liberum relinquat; 2° sic perge, ut difficultatem et nauseam sentias ad actus pravos, affectumque ad bonum illis contrarium; 3° ut inclinationem etiam sentias ad exercendos actus bonos; 4° per gratiam eo pervenias, ut dicere possis cum Josepho: *Quomodo possem hoc malum facere?* (2) imo cum Apostolo: *Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit me separare a charitate Dei.* (3)

4° Circa linguam. 1° Pergit citata Regula 29: *Ut te cures in pace et vera humilitate interna conservare, et eam in silentio, cum id observandum est; cum autem loquendum, in circumspectione et ædificatione verborum et modestia vultus et maturitate incessus, motuumque omnium, sine ullo impatientiæ aut superbiæ signo exhibere* Multa his paucis expressa accurate servanda. 2° Adde Regulam 26 comm. circa silentium, quæ jubet *ut nemo loquatur nisi obiter et perpaucis, aut de rebus necessariis;* et Reg. 28: *Omnes demissa voce, ut religiosos decet, loquantur, nullusque cum alio contendat; sed si qua in re diversa est sententia, modeste rationes afferantur, ut suus veritati sit locus.* 3° Cave diligenter a vitiis linguæ, de quibus Jacobus: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, illius vana est religio.* Omissis autem mundanorum vitiis, hæc religiosis nonnunquam adhærent: Contentio, de qua modo, secreti revelatio, mendacium, otiositas, loquacitas, imprudens-

(1) *Ps.* 17. — (2) *Genes.*, 39. — (3) *Rom.*, 8.

tia, irreverentia, scurrilitas, murmuratio, contemptus aliorum, jactantia, detractio, intemperantia in novis exquirendis et evulgandis. Ex quibus maxime cavenda est detractio, seu alienæ famæ denigratio et defectuum alienorum, præterquam Superiori, revelatio. Nam *abominatio est hominum detractor;* (1) *detractores Deo odibiles.* (2) Asserebat autem publice pater Claudius Aquaviva, teste Lancicio: *Nulla alia in re in Societate posse facilius Deum offendi lethaliter quam sermonibus quibus aliorum fama violatur.* Gravitas autem culpæ non tantum ex re quæ dicitur, sed etiam ex dignitate personæ, et damnis illatis desumenda est.

5° Circa infirmos et ægrotantes servandæ sunt Regulæ Summar. 49 et 50, quarum summa est ut patientia et intus servetur et foris ostendatur cum humilitate et resignatione in Divinum beneplacitum.

Hanc mortificationem juvabit frequens consideratio pœnarum inferni toties promeritarum.

DIES NONUS,

PRIMÆ HEBDOMADÆ SEPTIMUS.

DE POENITENTIA.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. (*Luc., cap.* 3.) Tibi soli peccavi. (*Ps.* 50.)

I. MEDITATIO.

DE FRUCTIBUS POENITENTIÆ.

Præludium I. — Recole parabolam ficulneæ infructuosæ, et audi Christum dicentem; *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* (3)

Præludium II. — Pete gratiam veræ et fructuosæ pœnitentiæ.

PUNCTUM I. — Considera animam tuam, 1° ex silvis mundi in vineam Domini, ejus misericordia et prædilectione, translatam et plantatam ad fructificandum; 2° ab eo per se et per Superiores Vicarios diligenter excultam; 3° sterilem tamen mansisse, non triennio solum, sed longe diutius, solis ramis et foliis exuberantem, forte flores paucos, nullos bonos fructus tulisse; 4° non infructuosam solum, sed etiam noxiam malos fructus germinasse.

(1) *Prov.*, 24. — (2) *Rom.*, 1. — (3) *Luc.*, 13.

Hæc omnia agnosce et expende, et audi Dominum merito conquerentem : Quid debui ultra facere ficulneæ isti? tot *sunt anni ex quo quæro fructum in ea, et non invenio.* (1)

Punctum II. — Considera damna inde sequentia, et pericula tibi imminentia.

1° Damna ex tua tepiditate et sterilitate orta. Non solum privasti Deum gloria, Christum fructu passionis, proximum auxilio, domesticos exemplo, Ecclesiam obsequio, Societatem honore, Superiores gaudio, te ipsum merito; sed etiam omnia positive contraria fecisti : quæ percurre cum confusione et pœnitudine.

2° Audi exprobrationem Domini : *Tres sunt anni ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio.* Quanto plures sunt ex quo venit annuatim quærens in te fructum, et quid tandem in te invenit? quid enim protulisti hactenus dignum Deo et Christo? agnosce sterilitatem tuam et inutilitatem tuam domi et foris, et confundere.

3° Ausculta Christi sententiam : *Succidite ergo illam : ut quid etiam terram occupat?* Revoca in memoriam, quam multi steriles Deo jubente excisi sint, e Societate ejecti, ab Ecclesia projecti, morte abrepti, inferno absorpti, et time. Hoc enim tibi periculum imminet excidium scilicet, et incendium. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur,* (2) *et servus inutilis* ligatus mittitur *in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium.* (3) Agnosce hujus sententiæ æquitatem, et fatere hanc pœnam a te esse commeritam.

Punctum III. — Remedia adversus sterilitatem illam suggerit cultor vineæ.

(1) *Luc.*, 13. — (2) *Ibid.*, 3. — (3) *Matth.*, 25.

Considera 1° intercessionem ejus apud Dominum, quam ad annum restringit, dicens : *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam...* (1) Cogita sanctum Ignatium id Deo dicere de te, et ejus precibus hunc annum tibi esse concessum, ut deinceps feras fructum uberem ; ne sinas ergo illum vacuum abire.

2° Necessitatem faciendi fructus, non justitiæ solum, quales debentur ab omnibus, sed et pœnitentiæ, nec qualescumque, sed dignos, et proportionatos debitis tuis, hoc est tales et tantos qui præteritam sterilitatem abunde compensare valeant. Ad hoc conare.

3° Media ad hos fructus suggerit idem agricola, dicens : *Fodiam circa illam, et mittam stercora;* quod fit per humilitatem quæ fodit, et mortificationem quæ separat a noxiis circumstantibus, per compunctionem et memoriam peccatorum et devotionem, quæ succum suppeditat frugiferum ; idque tam active quam passive ; neque enim arbor ipsa, sed colonus id facit, et arbor suscipit. Te ipsum igitur humilia et mortifica, et patere humiliari et mortificari ab aliis.

Observa autem quod addit, *et si quidem fecerit fructum, servabis; sin autem in futurum, succides illam.* Hæc conditio timorem et fervorem excitet.

Colloquium ad sanctum Ignatium, Beatam Virginem et Christum Dominum.

II. MEDITATIO.

AD CONTRITIONEM EX AMORE.

Præludium I. — Esto quasi prodigus ille ad patrem rediens. (2)

Præludium II. — Petam cognoscere et detestari meam in Deum ingratitudinem.

Punctum I. — Considerabo, 1° peccata mea omnia et singula esse offensas Dei, summæ et infinitæ Majestatis,

(1) *Luc.*, 13 *et* 15. — (2) *Ibid.*, 15.

pugnantes cum voluntate et perfectionibus omnibus illius, easque in me provocantes; 2° adeoque esse contemptum illius, et contumeliam ipsi præsenti illatam, creaturas ipsi vel præferendo, vel æquando; 3° includere summam ingratitudinem erga perpetuum illum Benefactorem a quo omnia habeo. *Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens? nonne ipse est Pater tuus, qui fecit et creavit te?* (1) 4° addere impudentiam et inauditam temeritatem, cum me immerentem conservaret, indignum protegeret, gratiam mihi offerret, et pararet gloriam. *Oh! quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* (2)

Punctum II. — Considerabo Dei in me prædilectionem et specialia, imo singularia beneficia.

1° In creatione, præ tot aliis possibilibus, tali loco, tempore, ex talibus parentibus.

2° In educatione, in sinu Ecclesiæ catholicæ, in collegiis Societatis, in vocatione ad religionem, admissione, perseverantia, in electione ad sacerdotium, etc.

3° In providentia favorabili, quæ mihi in infantia præsto fuit, et non solum necessaria, sed etiam commoda abunde subministravit, quasi me solum curaret ; et creaturis suis ut mihi ubique servirent mandavit.

4° In assidua et constanti protectione, qua tot pericula corporis et animæ a me avertit, ex tot malis me eripuit et eruit. Quæ cum intimo affectu recolam.

5° In insigni patientia et longanimitate qua peccantem hactenus sustinuit, et plenam conversionem hactenus expectavit, quasi tenera mater vigilans super filium unigenitum.

Hinc merito de me conqueri potest : *Quid est, quod ultra debui facere* animæ tuæ ; *et non feci? Et expectavi ut faceret justitiam et judicium, et ecce iniquitas.* (3)

(1) *Deuteron.*, 32. — (2) *Jerem.*, 9. — (3) *Is.*, 5.

Punctum III. — 1° Cogitabo insuper hunc secessum, hæc Exercitia spiritualia ab eodem benignissimo Deo mihi immerenti et indigno esse destinata et data, ut tandem resipiscam, et ad ipsum serio ex corde, et perfecte redeam. Oblata igitur occasione, forte nunquam se datura, studiose utar.

2° Recolam hæc Apostoli verba : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* (1)

3° Expendam cum tremore sequentia : *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ....* Et illud : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (2)

Colloquium per contritionem, non jam ex affectu servili, sed filiali.— *Pater, peccavi in cœlum, et coram te* (3).... *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* (4)

III. MEDITATIO.

DE FILIO PRODIGO, UT MOTIVO ET EXEMPLARI PŒNITENTIÆ.

Præludium I. — Specta Prodigum reducem a patre peramanter acceptum; vel audi Christum dicentem : *Ita erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* (5)

Præludium II. — Pete Prodigi pœnitentiam imitari, et pari reconciliatione gaudere.

Punctum I. — Vita Prodigi, in qua tria abhorrenda et vitanda ; nempe discessus a patre, errores et dissolutiones, et miseriæ inde secutæ.

Homo quidam duos filios habuit (6). Pater familias Deus est, duo filii sunt, justus saltem putatus, et peccator manifestus et publicus, quales Christus recipiebat.

1° *Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Hæc complec-

(1) *Rom.*, 2. — (2) *Ps.* 94. — (3) *Luc.*, 15. — (4) *Ps.* 26. — (5) *Luc.*, 15. — (6) *Ibid.*

titur omnia Dei dona, corporis et animæ, naturalia et gratuita, quæ suæ potestati tradi petit, nolens a patre regi, sed semet regere, eisque ad libitum uti vel abuti. *Et divisit illis substantiam,* dona sua utriusque tradidit libertati, *relinquens hominem in manu consilii sui.* (1)

2° Junior non tardat abuti : *non post multos dies, congregatis omnibus, peregre profectus est;* extra se ipsum et domum patris, ejus aspectum et monita fugiens. *Abiit in regionem longinquam;* hæc est oblivio Dei, a quo peccator recedit, non gressibus corporis, sed affectibus mentis. *Et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose,* id est in luxu, lusu, conviviis, scortatione, etc. Omnia Dei dona disperdidit et dissipavit : ipsa etiam corporis et animi dona, sanitatem et vitam prodegit.

Vide peccati initium et progressum. Tripliciter peccat : patrem deserit, substantiam dissipat, luxuriose vivit. His triplex pœna proportionata respondet.

3° *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere* (2). Luxuriæ fames tortor opponitur, inquit Chrysol. Et dissipationi respondet egestas. *Et adhæsit uni civium regionis illius, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* Qui paternum jugum moderatum et suave subire renuit, servile jugum durissimum subire cogitur ad turpissimum ministerium. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat (nec convivit porcis, qui vivit porcis,* Chrysol.) Civis regionis longinquæ diabolus est, qui in adhærentes sibi tyrannidem jam nunc exercere incipit.

Hæc omnia et singula tibi applica, sive a Deo per lethale peccatum discesseris, sive per negligentiam et

(1) *Eccli.*, 15. — (2) *Luc.*, 15.

tepiditatem recesseris. *Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* (1)

Punctum II. — Resipiscentia Prodigi tria complectitur imitanda : reflectit, proponit, et exequitur.

1° *In se autem reversus*, ad sanam mentem redit. Unde hoc? ex *vexatione*, quæ *dat intellectum* (2). Spargit enim Deus salubres amaritudines super illicitas cupiditates, quæ inde avocant et aperiunt oculos. Hinc conversionis initium, dicente Propheta : *Redite, prævaricatores, ad cor* (3). Quomodo ad se redit? comparat statum præsentem cum præterito, et cum statu servorum patris sui. *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus* et aliis vitæ necessariis! *ego autem* filius *hic fame pereo.* Revoca in mentem statum pristini fervoris, et compara te cum bonis laïcis.

2° Apud se proponit. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Et tu similiter propone 1° surgere a peccato et sordibus in quibus jaces; 2° reverti ad Deum ut Patrem, cum fiducia et amore; 3° confiteri cum humilitate; 4° offerre te ad satisfactionem plenam et placitam.

3° Hanc præparationem ad pœnitentiam sequitur executio : *et surgens.* Statim sine mora, magnis itineribus *venit ad patrem.* Venit autem prope nudus, squalidus, fœtore et pudore plenus; nec refugit ita apparere coram patre et domesticis ejus. Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem; sic appare coram Deo et angelis ejus.

Punctum III. — Prodigi reconciliatio tria quoque complectitur. Sistit se humiliter patri, ab eo peramanter accipitur, ei fideliter et constanter adhæret.

(1) *Jerem.*, 2. — (2) *Is.*, 28. — (3) *Ibid.*, 46.

1° Quo habitu, quo sensu apparet coram patre et domesticis ejus? seminudus, sibi male conscius, sed ad omnia paratus ut iratum patrem flectat, et in gratiam ejus redeat.

2° Sed quid pater? *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius*, et agnovit, *et misericordia motus est; et occurens, cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.* Patrem se probat amore, gaudio, lacrymis; sed jus et officium patris omittit in correctione filii.

3° Et prodigus lacrymis quoque perfusus, vix sui compos, ut potuit loqui, dixit ei : *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Nec plura. *Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus :* per quod illum in omnia jura amissa restituit. Addit : *Adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur; quia filius meus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* Non solum veniam concedit et in gratiam recipit, sed etiam convivio excipit, et gaudium suum toti familiæ communicat. Et cœperunt *epulari cum symphonia et choro*, ad invidiam fratris majoris ex agro reducis, et præ indignatione nolentis domum introire; quem pater egressus blanditiis mitigatum cogit communis lætitiæ participem fieri.

4° Cogita quid tunc Prodigus ille senserit. Quis stupor! quis amor! quæ præteritæ vitæ pœnitudo! vix concipi, nedum verbis exprimi potest. Quæ deinceps adhæsio personæ ejus! quod studium illi placendi! quæ cautio nunquam illi displicendi! *Vade, et tu fac similiter* (1), aut si quid melius potes erga Patrem cœlestem, hoc patre terrestri multo teneriorem, qui peccatores

(1) *Luc.*, 10.

fugientes revocat, revertentes adjuvat, venientibus obviat, reduces cum gaudio recipit, opiparo convivio excipit, angelos suos hujus gaudii participes facit, prope ad invidiam sanctorum.

Recole illud verbum Christi : *Ita dico vobis, gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (1); et noli invidere hoc gaudium angelis Dei. Rursus cogita hoc esse meram parabolam, inter homines inauditam et impossibilem, sed a bonitate et misericordia Dei, quam adumbrat, multum deficientem.

COLLOQUIUM. — Saltem indue Prodigi illius affectum et verba ut supra.

Lege ex Libello decem Additiones in fine primæ Hebdomadæ positas ; ex Direct. cap. 17, de fine primæ Hebdomadæ.

Ex de Ponte Meditat., 26 et 27, circa quinque sensus et tres animæ potentias.

Item, de Imitat. Christi, lib. I, cap. 25, de ferventi emendatione totius vitæ.

IX. CONSIDERATIO.

DE MORTIFICATIONE EXTERNA, ET USU POENITENTIARUM.

Desumenda ex Regulis et Additione Libri Exercitiorum. Regula 4 Summar. *Ratio vivendi Societati communis est, et nullus ordinarias pœnitentias ex obligatione subeundas habet. Sed illas quivis assumere poterit, quæ ipsi videbuntur ad profectum convenire, et quas Superior ad eumdem finem poterit eis imponere.*

Reg. 15. — Officia humilia, a quibus sensus magis abhorrebit, promptius suscipienda.

Reg. 19. — *Magnopere confert devote ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas.*

Reg. 47. — Exercitia mentalia externis interrumpenda, id est aliqua corporis exercitatione.

Reg. 48. — *Corporis castigatio non sit immoderata*, et confessario vel Superiori aperienda.

Regulæ 49 et 50 Ægris præscribunt obedientiam erga medicos et infirmarios; item humilitatem et patientiam.

(1) *Luc.*, 15.

Reg. 51. — *Aliquoties in anno Pœnitentiæ petendæ pro defectibus in observatione Regularum.*

Ex Regulis communibus quinta præscribit abstinentiam sextæ Feriæ : sexta vetat mortificationem publicam injussam.

Consule Additionem decimam ex iis quæ sunt in fine primæ Hebdomadæ Exercitiorum, quæ multa docet circa pœnitentias. 1° Duplicem explicat satisfactionem, seu pœnitentiam interiorem, scilicet, et exteriorem. 2° Triplicem tradit modum has exercendi, circa victum, circa somnum, circa carnem. 3° Ejusdem triplicem ponit finem seu effectum : satisfactionem pro delictis, sui victoriam, gratiæ cujusdam impetrationem vel dubii resolutionem. 4° Docet modum variandi pœnitentias per intervalla, ut finem quæsitum consolationis assequare. 5° Docet etiam modum inveniendi mensuram pœnitentiæ nobis convenientem et accommodatum. Hæc omnia ex sancto Ignatio.

His positis, vide 1° an et quomodo, quo spiritu observes jejunia Ecclesiæ et abstinentias Societatis; 2° an habeas pœnitentias ordinarias a superioribus approbatas, an et quomodo illas observes: 3° an et quid sit illis addendum, aut in illis mutandum.

DIES DECIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ PRÆVIUS.

IMITATIO CHRISTI.

Magister, sequar te quocumque ieris. (*Matth., c.* 8. *v.* 19.)

I. MEDITATIO.

DE REGNO CHRISTI, SEU DE CHRISTO REGE AD SUI SEQUELAM INVITANTE. (1)

Præludium I. — Specta Christum Dominum varia Galilææ et Judææ loca peragrantem, prædicantem ubique Evangelium Regni et discipulos colligentem.

Præludium II. — Pete gratiam ne obsurdescas vocante Christo, sed ad sequendum promptissimus sis.

PUNCTUM I. — Parabola. Cogita 1° humanum Regem divinitus electum, cui principes et populi omnes christiani reverentiam et obsequium præstare teneantur, et qui, omnibus regiis dotibus ornatus, omnium sibi animos et corda devinciat.

(1) *Libell. Exercit.*

2° Hunc proponere omnibus expeditionem quamdam bellicam his verbis : Mihi in animo est Terram Sanctam ab infidelium jugo eripere, et regnum Christi per orbem longe lateque diffundere. Quisquis in hac expeditione me sequi voluerit, promitto illi victoriam certam, et post victoriam mercedem amplam, ejus laboribus ex æquo respondentem. Unum peto, ut me sequatur, ut ea duntaxat faciat, aut patiatur, quæ me facientem, patientemve conspexerit. Neque enim melius haberi volo quam gregariorum militum novissimus. . . . . .

3° Quid fideles subditi respondere debeant? quis non avidissime sequeretur talem et tantum Regem in bello tam justo, tam sancto, conditionibus tam æquis, tam favorabilibus, tam insperatis, tam amabiliter invitantem? Si quis sequi detrectaret, nonne merito indignissimus haberetur? Quid de illo omnes, quid tu ipse sentires? sed quid si Rex ipse te nominatim invitaret, quid dicturus, quid facturus esses? quis foret animi tui sensus?

Punctum II. — Applicatio parabolæ.

1° Quis est ille Rex? Christus Dominus. Rex non terrenus, sed cœlestis; non humanus, sed divinus; non electione, sed natura; non hominum tantum, sed etiam Angelorum. Hoc de se *testimonium reddidit sub Pontio Pilato* (1), et in Psalmis dicitur : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo* (2). Habet omnes dotes regias, quibus Regibus omnibus longe antecellit et supereminet, longe diversus ab eis, subditos suos totidem Reges sibi similes facere intendit. Gratias age Patri de tali et tanto Rege nobis dato. Agnosce illum Regem tuum, et ex animo adora. *Tu es ipse Rex meus et Deus meus..... In te ini-*

(1) *I Thimoth.*, 6. — (2) *Ps.* 2.

micos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. (1)

2° Consilium suum palam omnibus proponit. Regnum gloriæ Dei pristino splendori restituendi, adeoque bellum indicendi dæmoni, mundo et carni; regnum peccati iis subnixum destruendi, ejusque ruinis regnum gloriæ Dei superædificandi. *Hoc opus ejus coram illo*, (2) de quo ipse Dominus : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam; clarificavi te super terram, manifestavi nomen tuum hominibus* (3), in hoc quippe gloria Dei posita est, ut ab omnibus rite cognoscatur, ametur, colatur.

Vocat autem in societatem tanti operis unumquemque juxta gradum suum. *Venite*, inquit, *ad me omnes;* (4) *si quis mihi ministrat, me sequatur;* (5) promittit secuturis victoriam certam : *confidite, ego vici mundum;* (6) post victoriam, mercedem amplam : *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; parem suæ : *et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* (7)

Hoc autem unum ab eis exigit, ut præeuntem sequantur et imitentur : *exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* (8) Addit illos nihilo pejus habendos quam seipsum : *non est autem servus major domino suo, sed sufficit illi si sit sicut dominus ejus.* (9)

Quid jam ad hæc homo fidelis et cordatus? Si Rex ille terrenus cum sua invitatione plane dignus est qui audiatur, quanto magis Rex hic cœlestis? quis sibi temperare possit, quin illum avidissime sequatur? talem ac tantum Regem, in consilio tam pio, tam sancto; conditionibus tam incredibilibus, tam insperatis, tam

(1) *Ps.* 43. — (2) *Is.*, 62. — (3) *Joann.*, 17. — (4) *Matth.*, 11. — (5) *Joan.*, 12. — (6) *Ibid.*, 16. — (7) *Ibid.*, 12. — (8) *Ibid.*, 13. — (9) *Matth.*, 10.

humaniter, tam amanter invitantem et allicientem? quis hoc sibi non summo honori ducat? quis illi non arctissime adhæreat? quis non ultro se offerat ad abjectissima quæque et maxime ardua? quem non pudeat nihil a se ultra exigi, seque eodem modo tractari, ac talem et tantum Regem?

Offer te igitur ad omnia, et dic magno sinceroque affectu : Magister, sequar te quocumque ieris; nec verearis, aut retrocedas, si audieris : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (1) Quin potius hoc te magis alliciat, et ad sequendum inflammet?

Punctum III. — Conclusio. Obligatio Christum sequendi et imitandi christianis omnibus communis et quasi essentialis est, ut docet Apostolus : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (2) Et nomen ipsum indicat; unde Bernardus : *Frustra christianus sum, si Christum non sequor.* Specialis est clericis in sortem Domini et sacerdotium Christi vocatis, et religiosis Christo consepultis, sed specialissima et strictissima est in hominibus Societatis Jesu, duplici ut minimum nomine ad hoc obstrictis, Christiani et Jesuitæ. Hi ergo debent perfectissime Christum sequi, illum in se ipsis, in omnibus sensis, dictis, factis exprimere, *ut vita Jesu manifestetur* (3) in illis, et cum Apostolo dicere possint : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* (4) Potesne id cum veritate dicere? quoties, quam multifariam vocavit te Christus? quoties secuturum te promisisti? sed quam parum præstitisti? Ecce iterum et forte postremo vocat ad sequendum : an detrectabis, aut procrastinabis? *Hodie si vocem Domini audieritis,*

(1) *Matth.*, 8. — (2) *Galat.*, 3. — (3) *II Cor.*, 4. — (4) *I Ibid.*, 4.

nolite obdurare corda vestra (1); sed tandem prompte et constanter sequere.

Colloquium. Offer te totum ex animo in perpetuam sequelam ex votorum formula.

II. MEDITATIO.

PERSONALIS APPLICATIO PRÆCEDENTIS. (2)

Post eadem Præludia et Puncta breviter repetita, sit:

Punctum I. — Considera quomodo Dei Filius, Rex cœli et terræ, cui omnes rationales creaturæ perfecte subesse debent (in hoc enim regnum Dei consistit), in aciem ipse descendere voluerit, ut gloriam Patris et suam repararet. Quod fecit et per se, tum agendo, tum patiendo in vita et in morte; tum per alios ad idem illos alliciendo et inducendo verbo et exemplo, seque omnibus, et tibi ipsi non Salvatorem tantum, sed etiam magistrum et exemplar proposuit. Agnosce ut talem, adora, gratias age; ausculta, *inspice, et fac secundum exemplar.* (3)

Punctum II.— Recole et pondera :

1° Quomodo nihil tale cogitans ad Societatem vocatus sis, et vix sciens quid ageres, vocantem secutus sis. Ubi revoca lumina, sensus, affectus, totamque vocationis tuæ seriem, de qua ex animo gratias age quam maximas.

2° Ex eo tempore non cessavit te vocare interius in dies alliciendo, invitando, urgendo ad sui sequelam ; in novitiatu, in studio, in sacerdotio suscipiendo, quot annis in duplici Renovatione, in Exercitiis spiritualibus; et semper promisisti secuturum.

3° Sed quam parce, quam lente, quam segniter præstitisti ! quantis abes spatiis, et ab ipso, et ab ea perfec-

(1) *Ps.* 94. — (2) *Ex Gaudier.* — (3) *Exod.*, 25.

tione quam status exigit, et quam tibi proposuisti? de quo dole, confundere, veniam pete.

PUNCTUM III. — Attende ut vocat adhuc.

1° Poterat servum inutilem, segnem militem, discipulum indocilem, merito ejicere et expellere, ut tot alios meliores te in Societatem tecum, ante et post te admissos : sed hactenus patienter sustinuit.

2° Quem tandiu per tot exempla, lumina, inspirationes, tam sollicite et tam frustra invitavit, etiamnum et postremo vocare dignatur per hæc Exercitia menstrua et ultimam Probationem ; fidemque toties sibi datam, perfectionem toties promissam, pro suo jure exigit et reposcit.

3° Nunc igitur tandem, magno animo atque voluntate, te illi totum trade, et omni tergiversatione abjecta, quam proxime et quam perfectissime sequere ; ejusque cognitionem, amorem, imitationem sic cura, ut merito dicere possis : *Vivo, jam non ego, vivit in me Christus.* (1)

COLLOQUIUM ex intimo affectu percursa votorum formula, aut alia.

Lectio ex Libello et Directorio de secunda Hebdomada; ex Gaudier, de procuratione gloriæ Dei; de Imitat. Christi, lib. II, cap. 1, 7 et 8.

III. MEDITATIO.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, UT RECONCILIATIONIS COMPLEMENTO ET VITÆ NOVÆ ALIMENTO.

Præludium I. — Finge te ad altare accedere sacra facturum, aut percepturum; et Dominum Angelorum millibus stipatum e Cœlo ad te descendere.

Præludium II. — Pete vivam hujus Mysterii apprehensionem et intimam reverentiam et devotionem.

PUNCTUM I. — Vivaciter apprehende hic præsentem Christum Deum et hominem.

(1) *Galat.*, 2.

1° Viva fide, quam excitabis, dic illi : *Visus, gustus, tactus in te fallitur ; sed auditu solo tuto creditur. Credo quidquid dixit Dei Filius : Nihil hoc verbo veritatis verius : Hoc est corpus meum.* (1)

2° Non minus adest quam si videretur. Et quid faceres si illum videres ?

3° Disce ab Angelis circumstantibus reverentiam et devotionem ; sed majorem debes ad te et in te venienti.

4° Intuere ipsum oculis fidei, quam formosum, quam amabilem, quam gloriosum.

5° Audi te invitantem : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Nisi manducaveris.... non habebis vitam in te* (2). Excita famem hujus divini cibi.

6° Cœlestem ejus fragrantiam percipe, et dic : *Curram in odorem unguentorum tuorum.* (3)

7° Prægusta suavitatem ejus incredibilem, *desiderabilem super mel et favum.* (4)

Vide quid tibi faciendum incumbat, ut illum digne decenterque recipias ; munda, orna omnia, et dic cum Centurione : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, et sanabitur* anima mea. (5)

Punctum II. — Recole personas quæ ipsum mortalem susceperunt, aut ei appropinquarunt, eorumque affectus indue ; Beatissimam Virginem ejus Matrem : *Ecce ancilla Domini* (6) ; Joannem Baptistam in utero exultantem, et post dicentem : Domine, *debeo a te baptizari, et tu venis ad me* (7) ; Pastores et Magos eum in præsepio adorantes cum muneribus ; Simeonem et Annam in templo suscipientes ; Petrum in copiosa pisca-

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Joann.*, 6. — (3) *Cant.*, 1. — (4) *Ps.* 18. — (5) *Matth.*, 8. — (6) *Luc.*, 2. — (7) *Matth.*, 3.

tione dicentem : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* (1); Thomam exclamantem : *Dominus meus, et Deus meus* (2); Hemorrhoïssam dicentem : *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero* (3). Disce ex ipsis quid agas, quid loquaris, quomodo ipsum suscipere debeas jam immortalem et gloriosum.

PUNCTUM III. — Considera iterum quomodo te geras, ubi talem tantumque hospitem introduxeris.

1° Cum Zachæo *suscipe illum gaudens* (4) in domum tuam, et offer illi ex corde omnia tua.

2° Cum Angelis astantibus illum adora, gratias age, veniam pete.

3° Adduc ad illum omnes facultates tuas, quas sanet, sanctificet et regat.

4° Dic : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (5)? offer illi *hostiam sanctam*, ipsi *placentem* (6), insignem aliquam tui victoriam.

5° Sed quid illi retribuam pro se ipso? trade illi te ipsum totum irrevocabiliter ex votis.

6° Pete instanter ut totum te sibi uniat in perpetuum, totum in se transformet per divinum illum cibum, suaque consilia in te impleat.

Denique in colloquio dic sæpius cum discipulis Emmaüs : *Mane nobiscum* (7), Domine; et termina per orationem de sancto sacramento.

X. CONSIDERATIO.

DE REGULARUM PRÆSTANTIA, UTILITATE, OBLIGATIONE.

Ex his æstimandæ sunt, amandæ, observandæ.

I. — Earum præstantia habetur potissimum ex tribus :

1° Ex voluntate Dei, quæ constat ex approbatione Ecclesiæ, signis etiam et miraculis confirmata, ut in aliis Ordinibus, sic etiam in Societate.

(1) *Luc.*, 5. — (2) *Joann.*, 20. — (3) *Matth.*, 9. — (4) *Luc.*, 19. — (5) *Ps.* 115. — (6) *Rom.*, 12. — (7) *Luc.*, 24.

2° Ex intentione Fundatoris, cui Deus illas inspiravit, et qui illas suis orationibus, jejuniis, lacrymis et pœnitentiis impetravit.

3° Ex suffragiis insignium Virorum qui illas et mirifice laudarunt, et religiose servarunt. De Instituto Societatis dixit pontifex Paulus III : *Digitus Dei est hic.* Illud sanctus Ignatius quanta cura, quot vigiliis et laboribus perfecit? quibus laudibus et præconiis Sancti nostri, et alii Societatis Heroes, imo et externi exornarunt? Ut, si qui ipsum contemnere videantur, nihil ipsi nisi contemptum mereantur.

II. — Utilitas illarum ad bonum commune Domus et Societatis, et ad proprium singulorum.

1° Ad bonum commune. Sine Regulis nullus ordo, nulla stabilitas, nulla proximi ædificatio, nullus fructus.

2° Ex regularitate nostrorum pendet bonus status Societatis: valet hæc ad exemplum, ad ædificationem externorum, ad bonum odorem Christi conservandum et propagandum, ad alliciendos trahendosque proselytos, etc. Irregularitas plane contraria operatur.

3° Ex observatione Regularum pendet propria perfectio singulorum, sine qua, quidquid demum agas, ad sanctitatem nunquam pervenies; cum qua sanctitatem certo attinges, absque illusione et periculo. Quod utrumque de minimis etiam Regulis verum est, ut patere potest attendenti.

III. — Obligatio earum in dubium revocari non potest : nam,

1° Quamvis nulla Regula, præcise loquendo, per se obliget sub peccato, quia hoc Fundator noluit, cum hoc tamen stare videtur, nullam posse deliberate violari sine peccato saltem veniali, et posse aliquando cum peccato mortali. Dico *violari*, quando scilicet obligat, nec compensatur majori bono.

2° Hoc autem peccatum oriri potest ex triplici capite : nempe vel ex materia, vel ex principio, vel ex affectu. 1° Ex materia, ut Regulæ quæ sunt circa vota, aut promissiones speciales, aut sunt in materia alicujus virtutis, spectantque ad præcepta divina juris naturalis aut positivi. 2° Ex principio agendi, ut si violentur ex negligentia, ex humano respectu, ex aliqua passione, vel ex contemptu, qui utique lethalis est, si contemnatur ipsa auctoritas, juxta illud : *qui vos spernit, spernit eum qui misit me* (1). 3° Ex effectibus inde secuturis, ut si sequatur scandalum, gravis inordinatio, destructio disciplinæ, dissolutio et dissipatio animi, et alia ejusmodi.

Hoc saltem verum est, si violentur habitualiter et ex proposito; vix enim tunc abest contemptus.

3° Et hæc obligatio est generalis quoad Regulas omnes, quæ unum eumdemque habent auctorem; et quoad personas omnes, etiam seniores, quorum major esse debet fidelitas, et quorum exempla prosunt aut nocent plurimum.

Observatio autem illarum ut sit perfecta, 1° debet esse non ex timore, sed ex amore; 2° oriri debet ex vero totius perfec-

(1) *Luc.*, 10.

tionis desiderio ; 3° dirigi ad exemplum Christi ; 4° ex perfecta obedientia.

Cogita quæ consolatio morienti, si dicere possit : Regulas æstimavi, amavi, accurate servavi ; Domine, feci quod jussisti, redde quod promisisti.

DIES UNDECIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.

INGRESSUS CHRISTI IN MUNDUM.

Tanto mihi charior, quanto pro me vilior. (*S. Bern.*)

I. MEDITATIO.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

Præludium I. — Historia Annuntiationis.

Præludium II. — Repræsentatio Angeli cum Beata Virgine colloquentis et Infantuli in utero ejus.

Præludium III. — Petitio gratiæ ad cognoscendum et imitandum virtutes ejus, maxime humilitatem.

PUNCTUM I. — Considera profundam Christi in hoc mysterio humilitatem. *Qui cum in forma Dei esset, nec rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniv̄it, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* (1)

Cogita quid sit Deus, quid homo, quid Deum fieri hominem; rursus quid sit Verbum, quid caro, quid Verbum fieri carnem... et tamen *Verbum caro factum est* (2), Deus homo factus est. Crede, obstupesce, adora, lauda, exalta.

Porro considera in Verbo divino humilitatem cordis, qua, ut majestatem suam occultaret, et aliis ipse vilesceret, *purpuram suæ Divinitatis cilicio nostræ mortalitatis operuit* : in humanitate humilitatem mentis et cordis, qua etiam sibi ipse vilescebat, nihil sibi tribuens, omnia Deo accepta referens; et utramque æmulare et

(1) *Philipp.*, 2.— (3) *Joann.*, 1.

imitare. Hoc primum tui regis exemplum : sequere præeuntem quem te secuturum promisisti quocumque iret. Sicut *initium omnis peccati superbia est* (1), ita initium et fundamentum omnis virtutis humilitas. Intolerabilis autem impudentia est, ut *ubi exinanivit se majestas, ibi vermiculus infletur et intumescat.*

Punctum II. — Verbum caro factum statim se Patri obtulit in holocaustum, juxta illud : *Sacrificium et oblationem nolaisti, corpus autem aptasti mihi; tunc dixi* : *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me* : *Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* (2). Et hoc sacrificium actu nunquam interrupto perseveravit usque ad finem vitæ. Quam gratum et quam gloriosum Deo! illud ipsum imitare prompta, jugi, et perfecta tui oblatione. Fiat, Domine, in me, de me, ex me, per me, circa me et omnia mea sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, semper et ubique, nunc et in æternum.

Punctum III. — Mansit Christus in utero totis novem mensibus ut cæteri infantes, in obscurissimo et arctissimo carcere inclusus, membris omnibus constrictus, sensibus omnibus captus, simul perfectissimo rationis usu præditus, ut hunc statum violentum sentiret. Quod mirantes Ambrosius et Augustinus dicunt : *Non horruisti Virginis uterum.* Mirare et tu, et cum Virgine matre contemplare et adora. Et quamvis ad gloriam Patris, et hominum salutem nasci cuperet, consuetum nascendi tempus nec momento prævenire voluit ex obedientia. Disce hinc carnis, sensuum, et appetituum etiam bonorum mortificationem, et singularitatis fugam.

Colloquium ad Verbum recens incarnatum et Matrem ejus, pro affectu.

(1) *Eccli.*, 10. — (2) *Hebr.*, 10.

II. MEDITATIO.

DE NATIVITATE CHRISTI

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Imago stabuli et præsepii Bethlehemitici.
Præludium III. — Petitio gratiæ, maxime spiritus paupertatis.

PUNCTUM I. — Quid Christo nascente pauperius? nascitur ex paupere Matre, pauperi fabro desponsata, extra domum maternam, in insolito populi concursu, *ubi non erat eis locus in diversorio* (1). Nascitur non in domo, sed in stabulo; reclinatur in præsepio, vilibus et alienis involvitur pannis, privatus commodis, quibus gaudent etiam pauperum filii in paterno tuguriolo; vix habet ea quæ sunt omnino necessaria, eaque vilissima. Hæc omnia sciens et volens elegit, ut jam ab ortu ipso paupertatis nobis exemplum daret. Jam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo : *Beati pauperes; væ vobis divitibus!* (2)

Disce a Rege tuo et magistro paupertatem amare et colere, divitias contemnere, et *cupiditatem radicem omnium malorum* (3) avellere. Votum paupertatis gaudens ratifica et renova.

PUNCTUM II. — Paupertatem comitantur egestas, angustiæ, incommoda: hæc omnia Christus ultro amplexus est. Nascitur hieme summa, nocte intempesta, sub frigido cœlo, in loco ventis omnibus pervio, cum defectu præsidiorum omnium tenellæ huic ætati necessariorum, ut te ad hæc omnia jam tunc erudiret. An tu ejus exemplo aliquos paupertatis effectus libenter experiris? nunc forte illos vel studiose devitas, vel invitus pateris! hoc vero est velle esse nomine pauperem, reipsa divitem; velle simul et meritum paupertatis et divitiarum commoda conjungere, quod impossibile est. Hæc est

(1) *Luc.*, 2. — (2) *Luc.*, 6. — (3) *I Timoth.*, 6.

hypocrisis et mera simulatio paupertatis. Si vere Christum amas, nudum, inopem, egenum amplectere et sequere.

Punctum III. — Eamdem sequitur mundi contemptus duplex, activus scilicet et passivus. Vide quantus uterque in Christo nascente fuerit; 1° quid sentiebat Christus de honoribus, divitiis, deliciis et cæteris quæ mundus amat et amplectitur? hæc omnia summo cum fastidio despiciebat, et *arbitrabatur ut stercora* (1), et tu disce hinc *abhorrere omnino, et non ex parte ab omnibus quæ mundus amat et amplectitur.* (Juxta 11, Summar. Regul.)

2° Sed quid mundus ipse de Christo? eum ut pauperculum, mendiculum, forte nec aspectu, vix compassionis affectu dignabatur. *In propria venit, et sui eum non receperunt* (2). Quæ indignitas! quæ ingratitudo! quin ambis hæc Christi insignia?

Quid mundus de te, et quid tu de mundo, qui non es, nec esse debes de hoc mundo?

Colloquium. — Dic cum Apostolo: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce*, et præsepio *Domini nostri Jesu Christi.* (3)

III. MEDITATIO.

DE CHRISTI CIRCUMCISIONE.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Compositio loci.
Præludium III. — Petitio gratiæ, spiritus mortificationis.

Punctum I. — Considera Christum tertiam virtutem, humilitatis et paupertatis comitem, sibique charissimam, nempe mortificationem, primo quoque tempore coluisse et nos docuisse: quod maxime præstitit in Circumcisione. Nam 1° ejus personæ Divinæ, et animæ beatæ corpus gloriosum et impassibile debebatur; pas-

(1) *Philipp.*, 3. — (2) *Joann.*, 1. — (3) *Galat.*, 6.

sibile ultro assumpsit, ut in eo ad gloriam Patris, salutemque nostram pateretur; 2° non egebat Circumcisione, ut pote peccatoribus et servis destinata; cum ipse *esset sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (1)... et Unigenitus Dei Filius: et tamen illam, ut cum illa universam legem veterem, quamvis gravem, subire voluit; 3° Circumsio videbatur illum deducere, deprimere, et gratis cruciare; nihilominus illam suscepit ad gloriam Patris et exemplum nostrum. Pudeat te non imitari Christum Regem tuum in qualicumque juris tui cessione: et disce Dei gloriæ ac legi servire in omnibus, tametsi te jure eximere possis.

PUNCTUM II. — Mortificatio duplex est: interna, quæ in motibus animi coercendis et edomandis; et externa, quæ in carnis afflictione consistit. Utramque Dominus exercuit in Circumcisione, cæremonia in primis dolorosa, et simul ignominiosa. 1° Quia tenera infantuli caro secabatur, cultro forte lapideo, in parte admodum sensibili: et dolor in Christo gravior erat, tum ex complexione ejus delicata, tum ex rationis usu, quo ictum et aciem cultri præsentiebat. 2° Quia erat character peccatoris et servi; qui uterque Christo repugnabat, nec sine ignominia affingi poterat, et tamen illum ultro suscepit, factus *in similitudinem carnis peccati* (2). *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixeruut cum vitiis et concupiscentiis suis*(3). Tune ex illis es? *qui hunc Christi spiritum non habet, hic non est ejus.* (4)

PUNCTUM III. — Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Magnum Mysterium! *Quia humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.... Ideo Deus exaltavit illum, et donavit illi Nomen quod est super omne nomen.* Hoc autem nomen tunc accepit, cum re ipsa implevit, pri-

(1) *Hebr.*, 7. — (2) *Rom.*, 8. — (3) *Galat.*, 5. — (4) *Rom.*, 8.

mitias sanguinis fundens, et reliquias spondens ad ultimam usque guttam. Vis mereri et digne ferre nomen Chistiani et Jesuitæ, circumcide cor tuum per veram mortificationem, humilitatem et obedientiam, sine quibus nec Dei gloriæ, nec saluti hominum servire poteris. Nomen igitur vel depone, vel imple.

COLLOQUIUM ad Jesum Christum, petendo veram cordis circumcisionem.

Legantur ex Director. cap. 19, 20, 21; ex eadem continuabitur apud Gaudier; de Imitatione Christi, lib. II. cap. 11, de paucitate amatorum Crucis.

XI. CONSIDERATIO.

DE VOTO RELIGIOSÆ PAUPERTATIS.

Lege ex Summar. Constitutionum. § 23 et seq. Ex Regulis commun. 7, 8, 9 et 11 : ex Compendio Ludovici de Ponte, part. 1, Medit. 20.

Circa paupertatem religiosam tria considerari possunt. 1° Est natura paupertatis in genere; 2° quæ contra votum paupertatis peccari possunt; 3° qui spiritus et quæ praxis paupertatis in Societate.

I. — Natura religiosæ paupertatis duo complectitur. Primum est nihil habere proprium. Secundum est nihil habere quod pauperi non conveniat.

1° Igitur, per votum paupertatis, religiosus spoliat se omnibus, sic ut deinceps nihil omnino ut suum habere possit, nec dominium absolutum, nec usum independentem, nec liberam ullius rei dispositionem. Unde sic pauper est, ut nunquam possit fieri dives, ut potest fieri mendicus ex suis eleemosynis. Hoc docuit praxis primorum fidelium, qui venditarum possessionum pretium afferebant ad pedes Apostolorum, unde singulis necessaria suppeditabant. *Erant enim omnia communia, et dividebantur omnibus, prout cuique opus erat..... Nec quisquam eorum quæ habebat, aliquid suum esse dicebat* (1). Unde Canon *Non dicatis.....* et modus loquendi etiam hodiernus Regularium prope omnium.

Contra hoc punctum peccatur vitio proprietatis.

2° Religiosus nihil potest habere vel retinere, etiam cum facultate Superioris, quod pauperi non conveniat, nihil pretiosum, nihil curiosum, nihil superfluum. Unde vestes, supellex, ratio vivendi debet esse ut pauperibus accommodata. Et

(1) *Act.*, 4.

vovens sibi obligationem inducit non utendi etiam bonis communibus, nisi ad necessitatem vitæ, cujus mensuram propriam taxat Apostolus dicens : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*, etc. (1) Hæc autem mensura non est uniformis omnibus religiosis Ordinibus; sed ex diverso fine et statutis singulorum pendet. Concil. Trident., sess. 25, de Regularibus, c. 2.

Hæc posterior obligatio videtur indispensabilis. Prior admittit licentiam Superioris : hæc autem licentia ad omnia et singula, 1° necessaria est ad vitandum peccatum; sed 2° potest esse Superioris, vel mediati, vel immediati; generalis, vel specialis; expressa, vel tacita; formalis, aut virtualis, vel interpretativa; sed 3° debet esse valida, et, ut talis sit, libera et semper revocabilis ad nutum.

Perfectio autem paupertatis petenda est ex vita Christi, præsertim publica; excludit autem affectum ad res quibus utimur ; tendit semper ad minuendum, ad effectus paupertatis experiendos, ad utendum rebus necessariis tanquam non utamur, etiam ad mendicandum.

II. — Circa peccata contra votum paupertatis, consideranda eorum malitia, species, excusationes.

1° Malitia duplex est : una furti contra septimum præceptum, altera sacrilegii contra secundum præceptum ; quia disponit de re non sua contra voluntatem religionis et promissionem Deo factam. Unde utraque, etiam separatim, ex genere suo mortalis est; potest quandoque separari. 1° Materia gravis eadem est quæ in furto, ut determinatum est apud nos : estque ex communiori sententia circiter unius sculi, seu taleri. 2° Plures minores transgressiones frequenter coalescere possunt in unam gravem, sicut in furto.

2° Species peccatorum variæ sunt : omnes actus proprietatis, ut dare, accipere, retinere, usurpare, mutare, consumere, dissipare, male distribuere. Hæc omnia peccata sunt, etiam in Superioribus, si contra regulam fiant, ut sunt in Inferioribus, si fiant absque licentia Superiorum.

3° Varias excusationes prætendunt transgressores, plerumque inanes et vanas, ut sunt : 1° Usus seu praxis multorum, qui, nisi sit rationabilis et legitime præscriptus, merus est abusus. 2° Licentia interpretativa non habet locum, quoties Superior adiri potest, aut non creditur assensurus. 3° Necessitas debet esse vera et urgens. 4° Charitas debet esse bene ordinata. 5° Doctorum sententia : *Prævalet in dubio expressa auctoritas Regulæ*. 6° Pudor petendi toties et importune a superiore. Hoc est male de ipso sentire, et directe agere contra votum hoc exigens. Nihil facilius quam licentiam petere a Superiore non negaturo, si rationi congruit.

III. — Circa paupertatem Societati propriam, duo commendat sanctus Ignatius, internam dispositionem æstimationis et

(1) *Timoth.*, 6.

amoris, et externam perfectionem observationis, nempe puritatem et integritatem.

Vult, 1° ut nulla re, tanquam propria, utamur; 2° ut nemo quidquam sibi usurpet; 3° aut de ullo disponat sine licentia Superioris.

Quæ aliis Regularibus communia sunt; sed sequuntur nobis propria.

Vult, 1° ut aliquos paupertatis effectus experiamur, et sic Superiores alios probare jubet: 2° ut quisque vilissimis quæ domi sunt, in victu, vestituque contentus sit: 3° ut parati simus ad mendicandum ostiatim, ubi obedientia aut necessitas id exiget: 4° ut nihil pretiosum aut curiosum habeatur: 5° ut nemo pecuniam apud se aut apud alios habeat: 6° ut nihil clausum Superioribus habeatur: 7° ut nihil etiam ex uno loco transferatur in alium sine facultate: 8° ut nihil in stipendium vel mercedem accipiatur pro spiritualibus; 9° professi vovent non permittere ut quidquam mutetur circa paupertatem, nisi forte restringendum.

Hoc præcipue spectat domos professas Societatis, quæ non possunt habere certos reditus, ut possunt domus probationis et collegia.

DIES DUODECIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ SECUNDUS.

CHRISTI INFANTIA.

Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. (*Matt.*, c. 18, v. 4.)

I. MEDITATIO.

DE PRÆSENTATIONE CHRISTI, ET PURIFICATIONE MARIÆ.

Præludium I. — Recole hic Historiam evangelicam. (1)

Præludium II. — Specta Christum Infantem a Virgine Matre Deo Patri oblatum.

Præludium III. — Pete imitari utriusque devotionem.

PUNCTUM I. — Christus ex primo conceptionis instanti, et ipso Nativitatis momento, actu interno jam tum Patri sese obtulerat, idque sacrificium actu non interrupto jugiter perseverabat; sed hoc illi parum fuit ad gloriam Patris. Igitur actui interno et secreto, etiam

(1) *Luc.*, 2.

externum et publicum, juxta legis præscriptum adjicere voluit, ut doceret nos : Religionem non solum interius colere, verum etiam exterius profiteri, maxime in iis quæ lex aut consuetudo pia induxit, *ut spectaculum simus Deo, et angelis, et hominibus* (1). Disce hinc in piis et consuetis observantiis Regulæ et Communitati te conformare, ad gloriam Dei et exemplum Christi et Mariæ.

Punctum II. — Considera Christi sacrificium. 1° Quis obtulit? Deus-Homo. 2° Quid obtulit? se ipsum totum, corpus, sanguinem, animam, actiones omnes, vitam et mortem. 3° Quando? die quadragesimo, quamprimum egredi potuit. 4° Ubi? Jerosolymis, in templo, in loco quem elegerat Dominus. 5° Quomodo? qua externa compositione? cum summa modestia ac reverentia. Qua interna dispositione? cum sincera devotione, summa æstimatione Divinæ Majestatis, ardentissimoque amore. 6° Ad quantum tempus? in perpetuum et irrevocabiliter, forte adjecta etiam voti religione ad majorem Dei gloriam, denique quam perfectissime.

Sic etiam Beata Virgo semetipsam cum Filio in holocaustum obtulit. Quam gratum, quam acceptum Deo utriusque sacrificium! *Odoratus est* sane *Dominus odorem suavitatis* (2). Sic offer te ipsum quotidie, primo mane, totum ferventer, irrevocabiliter in holocaustum Deo.

Punctum III.— Quod Christus Jesus ferventer obtulit Deo, hoc tota vita fideliter præstitit. Quinque siclis e lege redemptus, ad idem sacrificium quotidie iterandum, et olim in Cruce consummandum; interim tamen agendo et patiendo quam plurima. Itane tu Deo promissa præstas, eique semel dicata in ejus obsequium constanter impendis?

(1) *I Cor.*, 4. — (2) *Genes.*, 8.

Colloquium ad Mariam et Jesum pro affectu, vel ex formula votorum.

II. MEDITATIO.

DE FUGA CHRISTI IN ÆGYPTUM.

Præludium I. — Historia sacra. (1)
Præludium II. — Specta Jesum Infantem in ulnis Matris, comite Josepho, noctu fugientem.
Præludium III. — Pete sequi ipsorum in adversis resignationem.

Punctum I. — Considera Dei erga Filium Incarnatum, et electos suos Providentiam. 1° Vix natus, ad necem quæritur. Hanc Deus persecutionem permittit. *Sic omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2). Vide an pie vivas. 2° Huic illum periculo eripit ad graviora reservandum; nempe ad mortem Crucis. 3° Quomodo eripit? non per signa et prodigia, non in manu forti et brachio extento, non alia via humana utique possibili; sed per fugam, semper probrosam et difficilem; hic præterea periculosam et molestam. Sic Deus agit cum tribus illis personis, utique sanctissimis, sibique charissimis; sic Unigeniti sui votis et oblationi respondet; sic ipse cum suis amantissimi Patris beneplacito acquiescit. Admirare et imitare.

Punctum II. — Expende miram Christi, Beatæ Virginis et Josephi, in hac fuga obedientiam. 1° Singula Angelici præcepti verba singulas difficultates ingerunt. *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum: et esto ibi usque dum dicam tibi* (3); hære in singulis. 2° Rationem addit ad acuendam obedientiam: *Futurum est enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Amanti Jesum hoc unum satis est ad omnia relinquenda, tentanda, toleranda; esne paratus?

(1) *Matth.*, 2. — (2) *II Timoth.*, 3. — (3) *Matth.*, 2.

3° Præcepto exacte respondet obsequium, plenum, promptum, alacre, ad litteram perfectum. Et *surgens accepit Puerum et Matrem ejus noctu, et secessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis* (1). Quin et Beata Virgo et Puer, excusso somno, Josepho seu capiti, ut Deo ipsi eadem perfectione obediunt, nihil inquirentes. Hæc vide et erubesce.

PUNCTUM III. — Considera eorum in Ægypto commorationem.

1° Morati sunt in terra barbara, infideli, hostili, in medio nationis pravæ. Quamdiu? tribus, quinque vel septem annis; quoad Deo placuit ipsis per Angelum dicere: *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel;* addens ad metum pellendum: *Defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.* (2)

2° Quomodo? inter multas miserias, in magna egestate, ut pauperibus ejectis et profugis usuvenit; sed cum summa animi tranquillitate et alacritate. Christi Domini sospitatem, præsentiam et societatem sibi gratulantes, et Dei beneplacito perfecte acquiescentes.

3° Quid interim Christus ipse? *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea* (3). Et rursus: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* (4)

Et tu præeuntem sequere, et, ad Dei nutum resignatus, ibi morare libentius, ubi plura et graviora pro ipso perferenda sunt.

COLLOQUIUM triplex: ad Jesum, Mariam et Josephum: in quo id ipsum postula.

(1) *Matth.*, 2. — (2) *Ibid.*, 2. — (3) *Ps.* 87. — (4) *Matth.*, 11.

III. MEDITATIO.

DE REGIA CHRISTI INFANTIS DIGNITATE, QUA APPARUIT REX CŒLESTIUM, TERRESTRIUM ET INFERNORUM.

Præludium I. — Recole Historiam evangelicam.
Præludium II. — Percurre mysteria.
Præludium III. — Pete nosse et revereri, ut par est, magni hujus Regis Majestatem.

PUNCTUM I. — Cœli cœlorum, et omnia quæ in eis sunt, sentiunt Dominum, eique serviunt.

1° Cœlum empyreum mittit Angelos, qui ipsum adorent (1); et pastoribus annuntient, et natalitia ejus canticis celebrent : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (2)

2° Cœlum sidereum novam stellam emittit, ortus ejus indicem, quæ in oriente apparet.

3° Cœlum aereum mittit lumen et splendorem, qui circumfulgens pastores illuminat (3) ad occurrendum illi, ipsumque adorandum. Adjunge te illis, adora, lauda, exulta.

PUNCTUM II. — Omnis terra adorat eum, et psallit ei : viri cum mulieribus, senes cum junioribus, pusilli cum majoribus, simul in unum dives et pauper.

1° Pastores admoniti dicunt ad invicem : *Transeamus usque Bethlehem; et veniunt festinantes* (4). Agnoscunt Verbum, adorant, aliisque mirantibus enarrant.

2° Magi veniunt ab oriente Jerosolymam, dicentes : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum* (5). Locum edocti, stella duce, veniunt Bethlehem, prostrati adorant, mystica *munera offerunt, aurum, thus et myrrham,* et pro hoc Rege regem Herodem contemnunt.

3° Senex *Simeon* et anus *Anna* (6), Spiritu sancto

(1) *Luc.*, 2. — (2) *Matth.*, 2. — (3) *Luc.*, 2. — (4) *Ibid.* — (5) *Matth.*, 2. — (6) *Luc.*, 2.

monente, veniunt in templum, occurrunt ei, vident et agnoscunt salutare Dei, adorant, in ulnas suscipiunt, et, de illo prophetantes, sibi aliisque gratulantur.

4° *Infantes Bethlehemitici* (1) ipsum non loquendo, sed moriendo confitentur ; cæde sua ortum ejus annuntiant, et mortem prænuntiant ; et per ipsum vitam beatam possident.

Illis omnibus et singulis adjunge te, Regem agnosce, adora, confitere, exulta cum ipsis.

Punctum III. — Apparet etiam rex infernorum; dæmones, eorumque ministros solo nomine suo terrens, et invitos sibi servire cogens.

1° Natum *audiens rex Herodes, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.* (2)

2° Disturbat consilia quærentium animam ejus, solusque et imbellis eorum potestati resistit.

3° Quin etiam, eorum consilia et conatus servire facit gloriæ suæ et decretis suis. *Sic edictum Cæsaris Augusti* (3) servivit ad procurandum locum Nativitatis ejus a prophetis prædictum ; *Herodis ambitio* (4), calliditas, fallacia, ad dirigendos magos; ejusdem *crudelitas* (5) in cæde Innocentium, ad Nativitatem hujus regis asserendam, et Romam usque vulgandam (6) ; *Sacerdotum* ab ipso consultorum *incuria* (7), et oscitantia ad occultandum mysterium, et dum ex Scripturis gentes instruunt, inde ipsi excæcantur.

Admirare et adora hæc Dei consilia; gratulare Deo Infanti, eumque regem universorum agnosce et adora in colloquio : In nomine tuo, Domine, omne genu flectatur.

Lege ex Libello Regulas posteriores de discernendis

(1) *Matth.*, 2. — (2) *Ibid.*, 2. — (3) *Luc.*, 2. — (4) *Matth.*, 2. — (5) *Ibid.*, 2. — (6) *Ibid.*, 2. — (7) *Ibid.*, 2.

spiritibus, cum explicatione Directorii, cap. 27, lib. III de Imitatione Christi, cap. 41.

XII. CONSIDERATIO.

DE RELIGIOSA CASTITATE.

Lege ex Summar. Constitutionum, §. 28 et duos sequentes et ex Compendio de Ponte, part. 1, meditat. 20. Laconismu quo hic utitur sanctus Ignatius longis sermonibus multum prævalet: duo autem maxime ostendit; 1° quanti castitatem faciat; 2° quam perfecte illam observari velit, et merito. Neque enim potest quis esse semicastus.

Consideranda circa hanc virtutem ad tria capita revoca: 1° ad rationes affectum castitatis parientes: 2° ad avertentes a lapsibus castitati contrariis; 3° ad media comparanda et remedia reparandæ castitati opportuna.

I. — Ad æstimandam, amandam, colendamque castitatem hæc motiva maxime serviunt: 1° quanti Christus Dominus illam fecerit, apparet ex personis quas elegit, matre, nutritio, præcursore, discipulo: 2° ex genere vitæ quam coluit purissimam et ab omni suspicione remotissimam; 3° modo quo illam laudavit et commendavit.

II. — Quo in honore, et quanto in pretio virginitas in Ecclesia semper fuerit; 1° quæ ministros habere voluerit, vel virgines, vel viduos, vel si conjugatos, post sacerdotium in æternum pudicos; 2° quæ virgines Deo dicatas et devotas velut Christi sponsas a populo segregatas honoravit, tanquam Agnum in Cœlo cum virginali cantico seculturas; 3° quæ in utrisque lapsus carnis exhorruit semper et severe punivit.

III. — Hanc æstimationem et prærogativam meretur ipsa castitatis excellentia; ut 1° quæ, virgines Angelis pares, Deo proximos facit; 2° per quam homo corpus et animam, hostiam sanctam, Deo placentem, sacrificat; 3° cujus splendorem nulla virtus æqual, excepta charitate, cujus ipsa fructus est; 4° cœlestis potius quam terrena virtus videretur, humanas quæ vires superare, nisi innumera turba utriusque sexus, et cujusvis ætatis, illam fuso quoque sanguine firmassel, de quibus dicebat sibi Augustinus exprobans: *Tu non poteris quod isti et istæ!* quid his motivis urgentius?

IV. — Ad illam integre conservandam, cavendosque et avertendos omnes lapsus contrarios, hæc maxime valent, quod in illam peccatur facile, multiplicieter, graviter, irreparabiliter, et forte insanabiliter.

1° Quo excellentior est hæc virtus, hoc delicatior, vel solo flatu fœdatur; lapsus juvant humana infirmitas, innata concupiscentia, personarum sympathia, occasionum frequentia in vita apostolica, tentationum vis et multitudo, culparum in hoc genere connexio.

2° Peccatur non solum opere, et quidem per omnes sensus,

sed etiam sermone, desiderio, complacentia, cogitatione, etiam sine complice.

3° Si deliberate, nunquam leviter; quævis enim culpa talis per se gravis est, aut periculum grave inducit, ut vix a doctoribus, a nostris nunquam levis judicari possit. Censuræ et præcepta Societatis, cap. 4.

4° In religiosis voto aggravatur culpa, filque sacrilegium, quasi adulterium, profanatio, rapina in holocausto.

5° Virginitas semel amissa omnino irreparabilis est, et quævis impudicitia turpem et fere indelebilem maculam inducit.

Jam quid sequitur? taceo effectus physicos et pœnas, in solis moralibus hæreo. Si talis culpa manifestatur, et ad externos perveniat, quantum et quale scandalum! si intra claustrum maneat, quale probrum, quæ confusio in totam vitam! manet infamia indelebilis. Si omnino lateat, et secreta maneat, quæ difficultas in ea aperte confitenda! quot remorsus, quot proposita, quæ dilationes! quæ perplexitates! vix expiatur confessione, plena humiliatione, et satisfactione laboriosa atque diuturna. Quid? si in confessione celetur aut minus explicetur, ut sæpe fit, quod sacrilegium, quæ carnificina conscientiæ! hinc induratio, excæcatio, extinctio fidei, interdum apostasia.

Vide quæ mors, quod judicium, qualis infernus, etiam in hac vita!

Cautiones ad vitandum hoc peccatum, et satisfactiones ad reparandum nimiæ esse non possunt.

I. — Cautiones et media ad servandam castitatem præcipuæ hæc sunt:

1° Devotio; est enim donum Dei; unde orationes, sacramenta, lectiones, invocatio beatæ Virginis et sanctorum.

2° Humilitas, simplicitas, mansuetudo; Deus enim peccata spiritualia punit tentationibus carnis ad confundendum.

3° Sensuum et phantasiæ mortificatio.

4° Temperantia et sobrietas.

5° Pœnitentiæ ordinariæ.

6° Fuga occasionum. Dina, se exponens, rapta et corrupta est. (1) Joseph, relicto pallio, domestica pericula fugit. (2)

7° Nulla familiaritas cum feminis, quantumvis devotis; neque cum pueris, neque cum solis secreto agendum.

Hæ cautiones sunt necessariæ. An sufficientes? si cum his laberis, jam non sunt cautio, sed correctio.

II. — Remedia ad reparandam castitatem, præter præcedentia, quæ augenda sunt:

1° Pœnitentia maxime congrua est privare se voluptatibus licitis, et carnem rebellem castigare.

2° Illud Evangelicum verbum explere : *Si oculus tuus, pes vel manus scandalizat te, erue, abscinde, projice abs te.* (3)

3° Cum complice omnem omnino societatem abrumpere

(1) *Genes.*, 34. — (2) *Ibid.*, 39. — (3) *Matth.*, 18.

et fugere; si fieri non potest, saltem nunquam cum solo manere.

4° Nihil servare, aut retinere quod memoriam personæ, lapsus aut periculi revocare possit. Sic Judith Holofernis spolia consecravit Domino. (1)

5° Neque velle aut aggredi complicem per se convertere.

6° Dignos pœnitentiæ fructus in totam vitam sibi imponere et a se constanter exigere.

DIES DECIMUS TERTIUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ TERTIUS.

VITA CHRISTI PRIVATA.

Vere tu es Deus absconditus. (*Is.* 45.)

I. MEDITATIO.

DE VIRTUTIBUS VITÆ CHRISTI PRIVATÆ PROPRIIS.

Præludium I. — Intuere Jesum puerum vel adolescentem cum Virgine Matre et Josepho domi agentem.

Præludium II. — Pete virtutes ejus proprias nosse et imitari. Duas commendat Apostolus, *obsecrans per mansuetudinem et modestiam* Christi. (2) Addemus tertiam, nempe simplicitatem.

PUNCTUM I. — Intuere, admirare, æmulare Christi modestiam, non humanam, non angelicam, sed plane divinam.

1° In omnimoda compositione vultus, corporis et animi, in aspectu, in incessu, in omni motu, absque ulla inordinatione. *Non erit tristis, neque turbulentus.* (3)

2° In silentio, sermone parco et moderato, in modo loquendi gravi et submisso. *Non clamabit, nec audietur vox ejus* in plateis. (4)

3° In opere et agendi modo; ab otio, risu, lusu, puerilibus jocis alienissimus, seria semper ab incunabulis tractavit. Pro crepundiis forte instrumenta passionis suæ, crucem, spinas et clavos habuit, et quamprimum

(1) *Judith*, 16. — (2) *II Cor.*, 10. — (3) *Is.*, 42. — (4) *Ibid.*

per ætatem et vires licuit, nutritium suum in labore et fabrili opere adjuvit; ut merito diceret : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea* (1). *Inspice, et fac secundum exemplar.* (2)

Punctum II. — Mansuetudinem ejus attende.

1° Sui semper similis, semper sibi æqualis, ut vultu, sic animo semper tranquillo, ab omni inordinato motu constanter abstinuit. Iram seu vindictæ appetitum penitus ignoravit, indignationem compressit, zelum temperavit, etiam cum exercendus fuit.

2° Semper comis et blandus, omnibus affabilis, neminem dure excepit, aut aspere repulit; cum nullo contendit, sed potius omnes ad se lenitate et suavitate allexit, ut merito dictus sit *magnes cordium*, et de ipso diceretur : *Eamus ad suavitatem.*

3° Nulli omnino nocuit; juxta illud : *Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet* (3). Quin potius omnibus officiosus et beneficus, data occasione profuit; et jam tum *pertransiit benefaciendo* (4), pro ratione ætatis et status sui.

Punctum III. — Vide etiam ejus simplicitatem in primis amabilem.

1° In candore animi, absque fuco, duplicitate, simulatione, fallacia, ut ingenuam veritatem decebat,

2° In tenore vitæ communis, aliis se conformando, et pro circumstantiis quod agendum erat agendo : seclusis aliorum defectibus.

3° In horrore singularitatis et affectationis, volens *fratribus assimilari in omnibus* (5) absque peccato.

4° In intentione semper recta et pura, in omnibus et singulis, unice quærendo et procurando gloriam Patris, et instructionem aut ædificationem nostram.

(1) *Ps.* 87. — (2) *Exod.*, 25. — (3) *Is.*, 42. — (4) *Act.*, 10. — (5) *Hebr.*, 2.

Simplicitas dicitur rectissima ad Deum via : hanc inire cura, et constanter sequi, post Christum et per se ipsum.

Hæc omnia in Christo Domino cum admiratione observa, et quantum potes ad praxim redige.

In colloquio pete a Patre et Spiritu Sancto, per has Christi virtutes, earumdem spiritum.

II. MEDITATIO.

DE VITA CHRISTI ABSCONDITA SUB OBEDIENTIA.

Præludium I. — Recole brevem ex Evangelio Historiam. (1)
Præludium II. — Specta Christum in domo sancti Josephi, sub ipso fabrilia tractantem.
Præludium III. — Pete nosse, amare, et imitari hanc vitam Christi absconditam.

Punctum I. — Considera Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam, qui gloriam Patris propagaturus advenerat, ipsos triginta annos in latebris et silentio exegisse, vili opificio intentum.

1° Ut quid hoc? nisi ut primum nos doceret exemplo, quod postmodum prædicaturus erat verbo : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (2). *Accumbe in novissimo loco* (3). *Ama nesciri, et pro nihilo reputari. Nemo secure apparet nisi qui libenter latet.* Hæc dispositio necessaria est ad vitam apostolicam, divinæ gloriæ procurandæ intentam. Hoc quasi fundamentum illius nobis, non Christo, necessarium. Interim hoc Dei consilium admirare.

2° Sed quid occultabat Christus? 1° Divinitatem suam. Quis enim suspicaretur hunc esse Deum quem vilissimum homuncionem inter plebeios videbat? *Vere tu es Deus absconditus* (4). 2° Sanctitatem. Neque enim miracula aut illustria virtutum opera edebat, etsi nemo posset eum arguere de peccato. 3° Sapientiam. Tametsi

(1) *Luc.*, 2. — (2) *Matth.*, 11. — (3) *Luc.*, 14. — (4) *Is.*, 45.

enim omnium acutissimus atque doctissimus, videbatur tamen hebes et idiota; adeo ut, initio prædicationis, propinqui ejus ut furiosum vincire vellent; alii vero dicerent: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit* (1)? Et scandalizabantur in eo. Disce, si quid in te eximium sit, illud studiose occultare.

3° Quid interim præ se ferebat? fabrum, et fabri filium, fabrilia cum ipso tractantem. Cum studio non indigeret, nec ante consuetam ætatem docere deberet; ne interim otio indulgeret, laborabat manibus suis, seque maledicto Adæ subjiciebat: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (2). Idque quasi ex necessitate, non fallendi temporis gratia, ut interdum faciunt divites; quod ad majorem ejus humiliationem faciebat. Unde contemptim dicebatur *faber, Filius Mariæ.* (3)

Punctum II. — Considera domesticam Christi obedientiam, his Evangelii verbis expressam: *Erat subditus illis* (4). 1° Quis? Dei Filius, Deus et ipse Majestatis, cui ad nutum omnia obediunt; 2° quibus? Mariæ et Josepho, sanctissimis quidem personis; sed tamen puris creaturis, et infinito intervallo infra se positis: quin et aliis sibi, ut fit, imperantibus; 3° in quibus? in omnibus injunctis, præsertim vero in arte fabrili, et vilibus domesticis ministeriis; 4° quomodo? obediendo alacriter, prompte, integre, perfecte, cum subjectione voluntatis et judicii, tanquam Deo Patri, et ex intimo amore illius. Quamdiu? per annos triginta, et forte amplius.

Inspice, et fac secundum exemplar (5), vel certe admirare, et confundere.

Punctum III.— Considera etiam Christi profectum. *Proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et*

(1) *Joann.*, 7. — (2) *Genes.*, 3. — (3) *Marc.*, 6. — (4) *Luc.*, 2. — (5) *Exod.*, 25.

homines (1). Tametsi ab initio perfectus sapientia et gratia, tamen pro mensura ætatis perfectiora in dies opera edebat, infantis, pueri, adolescentis, viri, ut doceret nos semper crescere pro ætate. Cresce igitur et tu sapientia, seu vera rerum æstimatione, prout sunt in se ; et gratia, seu affectu et fervore devotionis ; scientia non tam speculativa quam practica, scientia sanctorum et vita sanctorum ; idque coram Deo vere et sincere, ad vitandam hypocrisim, et etiam coram hominibus, ad eorum ædificationem, et ad Dei gloriam. Si non crescis, certe decrescis ; *non progredi enim regredi est, et nolle proficere deficere est.* (S. Bern.)

Colloquium. Pete ista tria a Christo Domino per Josephum et Virginem Matrem.

III. MEDITATIO.

DE CHRISTO REMANENTE JEROSOLYMIS.

Ordine temporis præcedenti præmittenda, sed a sancto Ignatio ratione mysterii postposita.

Præludium I. — Historiam ex Evangelio repete. (2)

Præludium II. — Specta Jesum inter Doctores a Matre inventum, et audi.

Præludium III. — Pete, abdicato carnis affectu, iis quæ Dei sunt insistere.

Punctum I. — Jesus duodecim annos natus, præter debitum et usum ætatis, ascendit Jerosolymam cum parentibus.

I. Ut ostenderet, 1° nullam ætatem a procuratione gloriæ Dei esse immunem ; 2° ipsas ætatis primitias Deo esse consecrandas ; 3° amanti parum videri obligatoria, nisi addat supererogatoria. Hæc a tanto Magistro utinam didicisses et implesses !

II. Contemplare simul Christi ambulantis modestiam ; audi sermones divinos ; odorare fragrantiam virtutum ejus, gusta suavitatem conversationis ; osculare et af-

(1) *Luc.*, 2. — (2) *Ibid.*

fecta vestigia ; Mariæ et Josepho gratulare, et congaude.

III. Attende pariter quam gloriosum, quam jucundum æterno Patri fuerit hoc primum iter Unigeniti in templum ! quam grata et accepta Sanctissimæ Trinitati terrestris hæc itinerantium Trinitas ? gaude, gratulare, æmulare.

Punctum II. — Considera in Christo abnegationem affectus erga propinquos. 1° Parentes immeritos, nec cogitantes deserit, quamvis sciret graviter inde contristandos ; 2° quæsitus inter cognatos et notos non invenitur, fugiens carnem et sanguinem ; 3° post triduum sollicitæ et dolorosæ inquisitionis inventus in templo, Matri peramanter conquerenti duriuscule respondet : *Quid est quod me quærebatis* (1) ? significans se Patrem habere in cœlis, cui unice placere studeret, cæteris neglectis. Ita viros apostolicos esse oportet, ut *Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia* (2), *non acquiescentes carni et sanguini* (3), paratos odisse, contemnere, *calcare patrem et matrem*, et omnes sanguine junctos propter Christum et Evangelium.

Talisne es tu ? Magistrum et Ducem sequere.

Punctum II. — Considera Christum hic vacare iis quæ Dei sunt ad exemplum nostrum (4). 1° Videtur toto illo triduo mansisse in templo orationis intentus, et doctrinæ ; 3° repertus est sedens inter doctores, et interrogans illos, ut decebat ætatem ; quin, et respondens illis cum prudentia mirabili ; 3° matri expostulanti dixit : *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse* (5) ? hoc est, me ad gloriam Patris hominem factum, nullam ejus procurandæ occasionem prætermittere, imo hoc unum cogitare debere. Esto et

(1) *Luc.*, 2. — (2) *Hebr.*, 7. — (3) *Galat.*, 1. — (4) *Luc.*, 2. — (5) *Ibid.*

tu in iis quæ Dei sunt, in oratione, disciplina, et doctrina, et omnia ad majorem ejus gloriam refer.

Colloquio uno, vel multiplici, hæc omnia instanter pete, etiam per Mariam et Josephum.

Lectio ex Libello: præludium circa considerationem Statuum; præambulum ad electionem; introductio ad eligendarum rerum notitiam. Ex Director. cap. 22 et sequent.

De Imitatione Christi, lib. I, capit. 9, de obedientia et subjectione; lib. II. capit. 2, de humili submissione.

XIII CONSIDERATIO.

DE RELIGIOSA OBEDIENTIA.

Præclaræ de Obedientia Epistolæ beati Ignatii, quæ singulis mensibus publice legitur, ex Regulis Summarii, a 31 ad 40, vix quidquam adjici potest: nec tamen de virtute nobis tantopere commendata omnino silere debeo. De qua tria nobis consideranda sunt; 1° quæ nos ad obedientiam afficiant: 2° quæ nos ab inobedientia deterreant; 3° quæ nos ad praxim obedientiæ Societatis propriæ juvent.

I. — Tria maxime valent ad affectum perfectæ obedientiæ nobis imprimendum: exemplum Christi, ipsius obedientiæ meritum, et commoda nobis inde provenientia.

1° Exemplum Christi nobis proponit Apostolus, dicens: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset..... factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* (1) Hæc meditare, in quibus quatuor commendant excellentiam obedientiæ Christi. Commendant, 1° ejus extensio ad omnes et in omnibus; 2° duratio a præsepio ad Crucem; 3° ejus docilitas seu simplicitas sine delectu superiorum; 4° ejus elevatio, seu motivum constans voluntatis Patris. Quis homo præcipere affectet, ubi Deus affectavit obedire?

2° Obedientiæ pretium; est enim sacrificium Deo maxime gloriosum et acceptissimum. *Melior est obedientia quam victima:* 2° quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur; quod est difficillimum et maxime extensum. Sacrificium contra obedientiam factum Deo displicet. *Numquid vult Dominus holocausta, et non potius ut obediatur voci Domini?* (3)

3° Commoda ex obedientia provenientia. 1° Obedientia brevissima est, tutissima et facillima ad Deum via; 2° actus indifferentes reddit bonos et meritorios, bonorum autem germinat

(1) *Philipp.*, 2. — (2) *I Reg.*, 15. — (3) *Ibid.*

meritum; 3° radix est pacis et tranquillitatis in vita et in morte. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* (1) Hæc motiva reges et principes seculi ad vitam regularem vocarunt, et sanctis præcepta desiderare fecerunt.

II. — Tria quoque timorem et horrorem inobedientiæ pariunt; nempe magnitudo culpæ, pœnæ et periculorum.

1° Gravitas culpæ. Inobediens Deo ipsi resistit: *Qui vos spernit, me spernit, et spernit eum qui misit me,* (2) inquit Christus. Superior, ut homo tibi æqualis est, forte nec æqualis; sed ut superior, Christi vices gerit, ejus auctoritate munitus. Hinc inobedientia idolatriæ æquiparatur; *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere.* (3) Quid censendum de ea quæ est contra votum?

2° Gravitati culpæ respondet gravitas pœnæ. Constanter affectavit Deus gravius punire in hac vita inobedientiam erga suos ministros, et sæpe dissimulavit resistentiam propriis suis præceptis. Sic lepra punivit *Mariam* contra Moysem murmurantem; (4) *Core, Dathan* et *Abiron*, contra Aaron insurgentes cum omnibus sequacibus suis, quam terribili supplicio! (5) Sic *Saülem*, præcepto Samuelis non obtemperantem, abjecit et reprobravit: (6) rex est; necessitate compulsus, obtulit sacrificium ad placandum Deum, et non auditur. Quanto graviorem pœnam meretur religiosus obedientiam detrectans!

3° Si pœnis ejusmodi raro punitur in hac vita, occultis et spiritualibus, adeoque gravioribus reservatur. Triplex maxime periculum incurrit; 1° ne sibi ipsi relinquatur et arbitratu suo ambulet. *Non audivit populus vocem meam, ibunt in adinventionibus suis;* sic philosophos *dimisit in desideria cordis eorum;* (7) 2° ne vitam ducant sine auxilio, sine solatio, sine merito, plenam laboris, vacuam meredis; 3° ne bellum gerant contra Deum, in quo naturale est hominem vinci, vincere multo periculosius.

III. — Ad praxim obedientiæ in Societate quatuor explicanda supersunt.

1° Ejus natura, seu notio. Est virtus moralis, quæ nos Deo, ejusque voluntati subjicit, et hominibus qui nobis pro Deo præsunt. Videtur pars religionis, et dicitur a divo Thoma *prima virtutum moralium,* quippe quæ Deo voluntatem sacrificet.

2° Ejus obligatio est ad observationem regulæ, et omnium quæ ad illam pertinent, quando a superiore præcipiuntur; si in virtute sanctæ obedientiæ in re gravi, mortale est non obedire. Potest autem superior Societatis sic præcipere in omnibus quæ ad finem instituti pertinent.

3° Perfectio ejus vix potest esse major quam præscribitur in Societate. 1° Extendit se ad res omnes, etiam non obligatorias, quamvis difficiles et arduas; 2° ad omnes superiores, et illis subordinatos, in suo ordine et officio; 3° ad nudum signum

(1) *Ps.* 4. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *I Reg.*, 15. — (4) *Num.*, 12. — (5) *Ibid.*, 16. — (6) *I Reg.*, 13. — (7) *Rom.*, 1.

voluntatis eorum, sine ullo præcepto expresso. 4° Includit tres gradus executionis, voluntatis et judicii. 5° Procedit non ex timore, sed ex amore et motivo divinæ voluntatis. 6° Vult nos moveri ad nutum superioris, ut cadaver aut senis baculus.

4° Media ad comparandam obedientiam perfectam sunt: 1° humilitas, et mitilas seu mansuetudo: 2° intueri Deum in superioribus: 3° eorum mandata tanquam Dei verbum accipere; 4° bene affici erga illos, eorumque dicta tueri potius quam impugnare; nihil contra jussa proponere, nisi Deo prius consulto, et animo parato ad acquiescendum: 6° exempla Christi et sanctorum, et miracula in favorem obedientiæ recolere.

DIES DECIMUS QUARTUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ QUARTUS.

INVITATIO AD VITAM APOSTOLICAM.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. (*Joann.*, c. 12, v. 26.)

I. MEDITATIO.

DE DUOBUS VEXILLIS.

Præludium I. — Historica consideratio, hinc Christi, inde Luciferi, quorum uterque omnes homines ad se vocat, suo sub vexillo congregandos.

Præludium II. — Compositio loci. Duplex campus, unus prope Jerusalem, alter prope Babylonem.

Præludium III. — Petitio gratiæ. Nosse mali ducis fraudes, et vitare; boni sana consilia, et sequi.

PUNCTUM I. — Consideratio Luciferi, vexilli, cœtus et concionis ejus.

1° Imaginare ducem impiorum Luciferum, in vastissimo campo (via lata), prope Babylonem (locum confusionis et civitatem impiorum), in cathedra (superbiæ) ignea (perpetuæ concitationis) et fumosa (vanitatis et caliginis), horribilem figura, et aspectu terribilem: unde displicentia, tristitia, terror et horror. Hæc omnia totidem signa sunt, et opera spiritus mali, juxta Regulas de discernendis spiritibus.

2° Vide ut erigat vexillum superbiæ *adversus Domi-*

num et adversus Christum ejus (1), cui inscribit : divitiæ, honores, independentia, quæ per se indifferentia sunt.

3° Adverte quomodo convocatos dæmones et asseclas innumeros, per universum orbem spargat, ad nocendum omni hominum generi.

4° Ausculta concionem ejus ad suos quos instigat, ut, injectis laqueis, homines trahant primum ad cupiditatem divitiarum, inde ad mundani honoris ambitionem, ex quo, jugo excusso, in superbiæ barathrum deturbentur. Unde tres sunt tentationum gradus, in divitiis, honoribus, et superbia fundati ; ex quibus in omne vitiorum genus fit decursus.

5° Vide quam prompte, quam sedulo, quam plene mali ministri pejoris magistri jussa exequantur, et quaqua versum sparsi, longe, lateque ejus imperium propagare studeant ; omnibus quoad possunt, pestiferum suggestionis virus infundendo, vel per se immediate, vel mediate per alios jam ante a se deceptos.

6° Vide etiam quo successu id faciant. Quam multi, quam facile, quam turpiter se illaqueari sinant, dæmonis castra et signa quasi sponte sequentes, et alios etiam ad sequendum inducentes. Quotusquisque enim est qui triplici concupiscentiæ non cedat ? quis vel singulis tentationibus constanter resistat ? Recole exempla præterita et quotidiana : hominum cæcitatem et insaniam demirare et miserere : tuam ipsius recordare, detestare et deplora.

Punctum II. — Consideratio Jesu Christi, vexilli, cœtus et concionis ejus.

1° Intuere Christum Jesum : *speciosum forma præ filiis hominum* (2), aspectu summe amabilem, humili

(1) *Ps.* 2. — (2) *Ibid.*, 44.

quidem loco constitutum, sed in amœno campo prope Jerusalem, quæ visio pacis et civitas sancta est; quæ omnia ingenium, mores, et effectus boni spiritus denotant.

2° Vide ut salutiferum vexillum erigat, ad quod miseri mortales confugiant, qui se laqueis dæmonis ereptos velint, cum scriptum sit : paupertas, contemptus, subjectio, quæ propositis a Lucifero ex adverso respondent, et virtutibus omnibus viam parant.

3° Vide etiam quomodo electos a se Apostolos, aliosque ministros per universum orbem emittat, qui omni hominum generi doctrinam salutiferam impertiant, eosque ad suum vexillum adducere et congregare studeant.

4° Audi sermonem ejus ad suos : *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (1) *: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (2). Et quæ, aut quomodo? inducendo eos primum ad spiritualém affectum paupertatis, dein ad contemptus desiderium, et ad propriæ voluntatis abnegationem ; unde consurgit humilitas, et tres perfectionis gradus.

5° Attende ut Apostoli dicto audientes, et Domino obedientes, *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (3), opum, honorum, deliciarum contemptum, et contrariorum amorem ac studium verbo et exemplo, ac fuso etiam sanguine, ingenerare conati sunt.

6° Vide etiam quo successu id egerint, quantum eorum vita et prædicatio detraxerit æstimationi et studio opum et aliorum quæ mundus amat et amplectitur; quot eorum exemplo pauperem et humilem vitam, contemptis omnibus, amplexi sint; denique quam multi

(1) *Marc.*, 16. — (2) *Matth.*, 28. — (3) *Marc.*, 16.

desertis Luciferi castris, sub vexillo Christi meruerint. Gaude et gratulare tibi et aliis quod per ipsos, eorumque successores ad salutiferum Christi vexillum tractus sis, et stude ipsi strenue constanterque militare : ad quod serviet.

Punctum III. — Deliberatio ad sequendum. Inter utrumque vexillum et ducem medius, quasi in bivio constitutus, uni adhæreas, alteri adverseris necesse est. Neque enim potes utrumque sequi : cum *nemo possit duobus dominis servire* (1), neque neutrum, ut quasi indifferens maneas inter eos, dicente Christo : *Qui non est mecum contra me est* (2); oportet igitur ut alterutrum eligas. Elige igitur, optio tibi datur. *Elige quod placet; cui potissimum* adhærere et *servire velis* (3). Ut autem prudenter eligas, considera utriusque ducis personam, merita, scopum, promissa, jura.

1° Personas. *Quæ conventio Christi ad Belial? luci ad tenebras?* (4)

2° Merita. Quid pro te egit et passus est Christus? quid non contra te fecit aut tentavit diabolus ?

3° Scopus dæmonis est, te scelerum complicem, et suppliciorum censortem habere : Christi, te a perituris bonis abreptum et abstractum ad mansura æternaque perducere. *Fur*, inquit, *non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* (5)

4° Promissa. Diabolus ea promittit quæ nec præstare, nec servare potest; quæ per se plena sunt sollicitudinis et laboris, quæ hominem nec meliorem, nec feliciorem facere possunt; imo plerumque pejorem faciunt, et ideo illa nec nomine boni dignati sunt Stoici. Eadem vero contemnere et abjicere gloriosum et heroi-

(1) *Matth.*, 6. — (2) *Luc.*, 11. — (3) *Jos.*, 24. — (4) *II Cor.*, 9. — (5) *Joann.*, 10.

cum omnes philosophi judicarunt. Christus vero proponit passim obvia et sæpe inevitabilia, quæ patienter aut fortiter ferre gloriosum et sapiente dignum, amare et amplecti admirandum et prodigio simile videtur, et quibus homo certe vel bonus, vel melior evadit.

5° Quis jam exitus eorum? Finis utrorumque mors est : sed longe diversa. Sequentium dæmonem mors pessima, plena amaritudine et desperatione, quam sequitur mors secunda adhuc pejor. Christi sequacium mors pretiosa et jucunda. Religiosus *patienter vivit, delectabiliter moritur, quia momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (1)

6° Pacta in baptismo et post inita et jurata, ter interrogatus, ter abrenuntiasti Satanæ, pompis et operibus ejus; et credere in Christum natum, passum et redivivum, eique adhærere professus es. An perfidum dixisti sacramentum? considera igitur pactum, conditionem attende, militiam nosce. Et nisi perfidus sis desertor, juratam diabolo inimicitiam, Christo fidem religiose ét constanter serva.

Punctum IV. — Confirmatio in proposito. Christi castra sequi, sub ejus vexillo militare. Diabolum utcumque impugnare Christiano quidem satis est: homini Societatis parum, nisi dato classico alios quoque, quotquot potest, diabolo creptos ad Christum revocet, et sub ejus vexillo congreget, retineat, confirmet, promoveat, perficiat. Ad hoc vocati et formati sunt Apostoli; ad hoc nos elegit Deus de mundo, et vocavit in Societatem Filii sui; ut quam per Apostolos et Patres nostros perfectionem in nos transmisit, nos eamdem quoad poterimus aliis communicemus.

(1) *II Cor.*, 4.

Colloquium triplex: ad Beatam Virginem, ad Christum Filium, ad Deum Patrem; ut habet Libellus.

II. MEDITATIO.

APPLICATIO PRÆCEDENTIS. (1)

Post repetitam præcedentem Meditationem, sic applicari potest, ut fictio veritati serviat.

Punctum I. — Bellum Christi cum diabolo. 1° Ante Christum diabolus, erecto superbiæ vexillo, palam triumphabat in mundo; 2° Christus veniens contrarium salutis vexillum erexit, per stupendæ paupertatis, humilitatis et mortificationis exempla, mirabilemque prædicationem; et, *in Cruce exaltatus a terra, omnia traxit ad se ipsum* (2), plurimosque ad vexillum Crucis sequendum efficaciter perduxit; 3° non destitit tamen dæmon ab inceptis, sed mille artibus et dolis etiam religiosos ad sua castra revocare conatur; non sine successu: de quo dole et cave.

Punctum II. — Per Apostolos idem propagatum. 1° Cum posset Christus, per seipsum, totum mundum, saltem totam Judæam convertere et dæmonem ubique expugnare; id per Apostolos facere maluit, quibus formandis totus incubuit, ut homines per homines caperet, sibique aggregaret in opprobrium dæmonis; 2° id strenue fecerunt Apostoli per se, suosque successores, perfectionem Christi mundo repræsentantes, doctrinam ubique prædicantes, diabolo bellum inferentes, deque eo triumphantes; 3° illis submisit Deus identidem Apostolicos viros, qui, dato classico, homines a diabolo ad se revocarent, exemplo, doctrina, miraculis, successu non pœnitendo.

Punctum III. — Ad nos tandem transmissum. 1° His novissimis temporibus, diabolo novas et superbas hæ-

(1) *Ex Gaudier.* — (2) *Joann.*, 12.

reses suscitante, Deus sanctum Ignatium et socios suscitavit, per quos christianam et religiosam perfectionem, quasi sopitam, denuo excitavit, et novo subsidio militantem Ecclesiam ad dæmonem expugnandum roboravit; 2° his nos ipsos substituit ad Societatem vocando, in cujus sinu fovemur, partim ut perfectionem, a majoribus nobis traditam, totam recipiamus, et in nobis exprimamus, partim ut eamdem totam, et si possumus auctiorem, aliis quam plurimis communicemus; 3° incipiendum a domesticis, et cavendum ne diabolus suum inter nos vexillum erigat, doctrina honores ambiendo. Adjice tria colloquia, ut in præcedenti.

III. MEDITATIO.

DE TRIBUS HOMINUM CLASSIBUS.

Illam lege diligenter ex Libello et Directorio, et post Præludia ibi notata, sit

PUNCTUM I. — Prima classis eorum est qui dicunt se velle finem, idque præ se ferunt, sed media nulla adhibent, imo nec de mediis cogitant. Hi turpiter sibi illudunt, simplicem complacentiam, aut velleitatem puram, pro absoluta et efficaci voluntate accipientes, quam si haberent, agerent utique quod oportet ad finem assequendum. Hæc classis est plurimorum; sic se habent plurimi christiani ad salutem, peccatores ad conversionem, religiosi ad perfectionem. Cave tu ne ex illis sis.

PUNCTUM II. — Secunda classis eorum est qui media quidem adhibent nonnulla, pro suo affectu et gustu, sed non omnia necessaria, nec forte magis opportuna; unde nec finem attingunt, nec valde efficaciter intendunt. Hi plures sunt, et sæpe periculosius errant quam primi, qui, cum nihil agant, facilius convincuntur non velle serio; quod secundi, aliquid etiam ad rem agentes, non facile sibi persuadent. Revoca eadem exempla, et ab hac illusione cave.

Punctum III. — Tertia classis eorum est qui media omnia ad finem intentum idonea et efficacissima quærunt, eligunt, amplectuntur, adhibent ut oportet. Hi pauci sunt, et soli qui finem propositum vere, sincere et efficaciter intendunt, adeoque assequuntur. Tu esto ex illis.

Hic, et in præcedenti Meditatione, triplex colloquium de vexillo adhibendum est.

Lectio apud Gaudier, cap. 28, in quo consistat perfectio apostolica.

Ex Imitatione Christi, lib. III, cap. 32, de abnegatione sui, et abdicatione omnis cupiditatis.

XIV. CONSIDERATIO.

DE STATU ET ELECTIONE.

I. — Status Patrum tertii anni tria complectitur; esse Religiosum, Sacerdotem et Scholasticum Societatis Jesu.

II. — Videndum utrum ad illa tria perveneris regulariter, et ex vocatione divina.

1° Igitur recole quomodo ad Societatem accesseris: utrum ex vocatione, an ex instinctu et motione interna, an ex ratione; quo fine, quibus motivis. Si ex puro studio gloriæ Dei, Deo gratias age, tibi ipsi gratulare. hoc ratifica et confirma: sin aliquid minus rectum, aut puerile, aut humanum admixtum fuit, hoc reproba, retracta, corrige, emenda, et veniam pete.

2° Vide quis fuerit sensus, quæ affectio, quis fructus in tam frequenti votorum renovatione. Quæ bona sunt, confirma; si quæ mala aut imperfecta, respue et detestare.

3° Circa Sacerdotium. An *vocatus sis a Deo, tanquam Aaron:* (1) superiorum nutu et voluntate; an forte aliquid ambitionis admixtum sit; qua præparatione, qua dispositione animi characterem susceperis, et primitias celebraveris. Si bene. Deum lauda; si minus bene, dole, et veniam pete; et quantum potes defectus supple.

III. — Si, vocante Deo, recte ad triplicem hunc statum pervenisti vide an ea quæ ad ipsum pertinent adimpleveris.

1° Ut Religiosus. An emissa vota religiose observes; an regulas et constitutiones custodias; an sincero animo abhorreas ab iis omnibus quæ mundus amat et amplectitur.

(1) *Hebr.*, 5.

2° Ut Sacerdos. An vita et moribus Sacerdotii sanctitatem honores; quomodo Divino Officio et Horis Canonicis satisfacias; quo sensu et gustu ad sanctum altare accedas et celebres.

3° Ut Scholasticus Societatis. Attende ad finem et modum vivendi Societatis proprium primo paragrapho Summarii Constitutionum expressum. Vide quis sit in te zelus gloriæ Dei et salutis animarum; an vere dici possis bonus Religiosus et Sacerdos Societatis Jesu; an et quid ad hoc desit. Et ad illud contende.

IV. — Circa gradum Professi aut Coadjutoris, si nondum determinatus est aut declaratus; renova coram Deo sanctam indifferentiam n. 20 Summ. expressam; et promissionem acceptandi gradum oblatum, in Formula Votorum factam, et sæpius iteratam. Si vero jam determinatus et declaratus est, accepta illum, quicumque sit, cum humilitate et submissione, tanquam de manu Domini; et dic sincere: *Elegi abjectus esse in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* (1)

V. — Confirma te omnino in statu tuo; 1° comparando illum cum aliis, et præferendo tanquam tibi destinatum a Deo; 2° pertentando quidnam possit ab illo te dimovere, dicens: *Quis poterit nos separare a charitate Christi? certus sum, quia neque.....* 2 3° vota et promissiones Deo factas ex animo renovando, dicens Domino: *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.* (3)

DIES DECIMUS QUINTUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ QUINTUS.

DISPOSITIO AD CAPESSENDAM CHRISTI DOCTRINAM.

Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei. (*Philipp.*, 3.)

I. MEDITATIO.

CONSIDERATIO DE TRIBUS MODIS HUMILITATIS.

Præludium I. — Cum Discipulis circumstantibus audi Christum dicentem: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* (4)

Præludium II. — Pete discere, non intelligentia tantum, sed etiam praxi, hanc humilitatem.

PUNCTUM I. — Primus modus humilitatis, seu abnegationis est, ut ita me subdam divinæ legi et voluntati.

(1) *Ps.* 83. — (2) *Rom.*, 8. — (3) *Ps.* 65. — (4) *Matth.*, 11.

ut malim omnia perdere aut pati quam mortaliter peccare; et quovis bono oblato, vel malo intentato, nolim ullum præceptum, etiam humanum graviter obligans, violare. Quocirca considera 1° Hoc esse rationi maxime consentaneum. Quid enim æquius, quam creaturam Creatori subdi? ejus voluntati subdere se? ejus gloriæ se, suaque longe posthabere? 2° homini summe utile, qui ordinem servado servantur ab eo, pacem sibi conciliat, Deique amicitiam et omnia naturæ, gratiæ et gloriæ bona sibi procurat; 3° hoc Christus verbo, et facto docuit, qui neglectam ab Adamo divinæ legis observantiam commendans, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis* (1); 4° hoc sancti martyres, qui pro lege Dei sui certarunt usque ad mortem. Hoc omnes sancti et sanctæ Dei, qui mundum et omnia reliquerunt, sese crucifixerunt, et vivos sepelierunt, ut omnia peccandi pericula effugerent. Recole Benedictos, Bernardos, Franciscos, a carne sollicitatos, sanctum Ignatium gelidæ collo tenus immersum, ut alium a peccato mortali deterreret et averteret; 5° hoc esse ad salutem omnino necessarium. Nam, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). Et *qui amat animam suam* inordinate, *perdet eam* (3). Unde hic gradus communis est omnibus sub signo Christi militibus; quo qui caret sub diabolo est.

Vide an sis in eo constitutus, idque explora dicens cum Apostolo : *Quis nos separabit a charitate Christi* (4)? Si ita est, gratias Deo age, tibique gratulare; sin minus, conare huc pervenire, his rationibus et exercitiis primæ hebdomadæ; saltem dole quod non semper ita constitutus fueris.

Punctum II. — Alter modus humilitatis est, ut ita me

(1) *Philipp.*, 2.—(2) *Matth.*, 19.—(3) *Joann.*, 12.—(4) *Rom.*, 8.

subdam legi divinæ seu voluntati, ut malim omnia perdere, vel pati, etiam mortem turpissimam et crudelissimam, quam peccare venialiter deliberate. Ac 1° quid æquius et rationi conformius quam ut homo ne minima quidem in re Dei et Creatoris sui legem, aut gloriam violet? Minima quippe Dei gloria, cum Dei bonum sit, merito præferenda est bono cuivis creaturarum omnium. Ut, ex adverso, minima Dei offensa, utpote Dei malum, potius fugienda est quam malum quodlibet, et quantumlibet creaturæ. 2° Hoc exigit Dei amor; quis enim filius patrem amare credatur, quem ut occidere nolit, contristare non vereatur? aut quis sibi de amore Christi blandiatur, quem etsi in se crucifigere nolit *ostentui habeat* (1). Ibi certe non est amicitia secura et quieta. 3° Quantæ sunt miseriæ eorum qui venialia parvi pendunt? Non habent pacem conscientiæ, ut qui hostes intestinos fovent; non gaudent speciali providentia et protectione, robore ad resistendum tentationibus, quibus turpiter succumbunt. 4° Sanctos omnes alienissimos fuisse ab hac laxitate, majoremque interdum in vitandis venialibus quam in mortalibus diligentiam exegisse et commendasse: ut Chrysost. in Matthæum homil. 87. Mortalia enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit, venialia autem ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt. 5° Inde nascuntur damna inæstimabilia, æterna, irreparabilia; cum quodlibet veniale deliberatum privet aliquo gratiæ augmento, et consequenter gloriæ, per se irreparabili. 6° Contraria dispositio, seu propositum non peccandi venialiter deliberate, omnino necessaria est ad propriam perfectionem promovendam; multo magis ad alienam procurandam propter ædificationem. 7° Hoc ipsum videri potest

(1) *Hebr.*, 6.

quodammodo necessarium ad salutem propriam in tuto ponendam. Quamvis enim non sit necessarium ad salutem vitare de facto venialia; tamen absque firmo proposito ea vitandi non satis prospectum est adversus mortalia; tum quia qui proponit omnia, sed sola mortalia vitare, non continuo vitabit : tum quia venialia deliberata, cum non sint venialia ex imperfectione actus, talia sunt vel ex parte materiæ, quæ modica accessione fiet sufficiens ad mortale, vel ex genere suo, et tunc, mutata aliqua circumstantia, loco venialis ponetur mortale; ut si mendacium sit perniciosum, aut cum juramento conjunctum; quod proclive est ei qui assuetus est mentiri et jurare leviter.

Discute an ad hunc gradum perveneris; an in eo semper fueris; gratias age, aut dole. Explora et pertenta cor tuum, an alicui creaturæ vel leviter adhæreat, et affectum inde avelle.

Punctum III. — Tertius modus absolutissimæ humilitatis, seu abnegationis est, ita esse comparatum, ut si Dei gloria utcumque par foret, pariterque abesset peccati seu mortalis, seu venialis periculum; malim tamen nudus, spretus, illusus Christum sequi, eique in ferenda cruce conformari, quam sine ipso opes, honores deliciasque possidere. Quod intelligi debet 1° hypothetice, si fieri posset. Ubi enim est major Christi imitatio, ibi quoque major est Dei gloria positive. 2° Negative ad vitandum peccatum, cujus periculum ex utraque parte par foret. 3° Affective, et in præparatione animi, quando nimirum major Dei gloria exigit. ut quæ naturæ placent, admittantur, ea interno affectu abnegare et respuere, et crucem semper in corde ferre, eamque libenter, si liceret, in humeros tollere.

Hic est spiritus vere apostolicus. Hoc est : *scire Jesum*,

et hunc crucifixum (1). Hoc est : *scire abundare, et penuriam pati* (2), et *per infamiam et bonam famam, a dextris et sinistris* (3), majorem Dei gloriam semper intendere, quærere ac procurare. 1° Hoc æquissimum et justissimum est : quamvis enim spectato solo Creatoris fine, nullo superaddito, laus Dei par utrinque foret ; si tamen addatur major Christi imitatio, jam tollitur paritas, et major positive Dei gloria exurgit merito præeligenda.

2° Hoc exigit amor Christi haustus ex contemplatione de regno et vexillo ejus, nempe, ut nos ejus affectibus conformemus, ejus arma induamus, ejus insignia gestemus.

3° Hoc ipse suis sequacibus proponit tanquam conditionem, sine qua eos nec agnoscit, nec admittit : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie* (4) ; quod ad omnes dictum, saltem de perfectis intelligi debet.

4° Hoc valet ad uberiorem gratiam, pacem, consolationem procurandam ; juxta illud : *Et invenietis requiem animabus vestris* (5). Et rursus : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* (6)

5° Hoc spiritu pleni apostoli : *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati* (7). Et Paulus dicebat : *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (8). Hoc alii sancti, qui acceptama majoribus perfectionem in se expressam posteris reliquerunt.

6° Hic spiritus viris apostolicis omnino necessarius ad suam aliorumque perfectionem ; nam qua fronte, quo fructu Christum crucifixum aliis prædicarent, quem

(1) *I Cor.*, 2. — (2) *Philipp.*, 4. — (3) *II Cor.*, 6. — (4) *Matth.*, 16; *Luc.*, 9. — (5) *Matth.*, 11. — (6) *Galat.*, 6. — (7) *Act.*, 5. — (8) *Galat.*, 6.

ipsi non sequerentur. Hic verus Societatis spiritus § 11 et 12 Summarii Constitut. expressus, et omnibus nostris tantopere commendats, nempe *abhorrere omnino, et non ex parte ab omnibus quæ mundus amat et amplectitur, et quærere ac concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus amavit et amplexus est.* Ad hunc pretiosum perfectionis gradum quisque jubetur tendere per majorem sui abnegationem, et continuam in omnibus mortificationem.

Vide an huc perveneris. Saltem desidera hoc desiderium, juxta illud : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas....* (1) Interim obviam crucem amplectere, eam, cæteris paribus, elige; et semper affectu retine, abnegatis contrariis.

Huc revoca, et instaura triplex colloquium de vexillis, crebro iterandum.

II. MEDITATIO.

REFLEXIO CIRCA HOS TRES MODOS, ET JUDICIUM DE ILLIS. (2)

Post eadem præludia, repetenda sunt tria præcedentis meditationis Puncta, et rursus considerandi tres prædicti humilitatis modi cum suis motivis, magis insistendo in iis quæ majus lumen aut spiritualem gustum affectumque pepererunt. Deinde singuli gradus cum fine comparandi, et videndum quomodo ad illum pertineant et quantum juvent.

Quicumque ad Christum vocati sub ejus vexillo militant, ad unum aliquem ex his gradibus pertinent. Quibus enim fixum non est peccatum mortale omnino vitare, ii omnes ad vexillum pertinent diaboli. Quicumque autem sub Christo sunt, non omnes eodem modo sunt, sed pro triplici diversitate.

PUNCTUM I. — Primi sub eo sunt potius ut conserventur, quam ut perfectionem evangelicam aut ipsi attingant, aut aliis persuadeant. Experientia enim constat seculares, nisi ope religiosorum, aliorumve perfectorum sustententur, ut caro ossibus, facile in mortalia ruere, aut etiam omnino a fide deficere. Et

(1) *Ps.* 1. — (2) *Ex Gaudier.*

idem est de iis religiosis, qui, a via perfectionis deficientes, sola mortalia vitare vellent. Quare inepti sunt ad alios perficiendos.

Punctum II. — Secundi indifferentes sunt ad bona et mala indifferentia; quia solam Dei gloriam ut formale objectum intendunt. Unde ubi illa æqualis est, æqualiter se habent, et æque parati sunt frui divitiis, honoribus, commodis, modo id possint sine detrimento gloriæ Dei, et illis carere si opus sit ad vitandum peccatum veniale deliberatum, quod omnino nolunt admittere. Hi etsi constanter retineant illud propositum, imo et de facto nunquam peccent venialiter deliberate, tamen in mediis divitiis, honoribus, commodis, quæ omnia libere admittunt, admodum difficile est plurimos defectus veniales subrepentes vitare, qui animam omnino maculant, et ad divinos amplexus minus idoneam reddunt, et plerasque virtutes in diversis occasionibus exercere, et in multis non excedere, non tam ex proposito quam ex errore et infirmitate, in id quod gratum est inclinando. Unde non tanta manat in proximos ædificatio, nec in eis relucet ea virtutis et perfectionis viva imago quæ hominum animos sola capit. Adeoque quamvis valde Deo grati et pretiosi sint, non sunt tamen adhuc perfecte idonei ad alios juvandos, et ad perfectionem adducendos.

Punctum III. — Unde illi soli proprie sub vexillo Christi in apostolico choro militant, qui tertium humilitatis gradum attigerunt, et ita Christum Dominum in vita communi sequuntur, ut sicut ipse, semper in corde crucem gerant, eamque, cum opus est, in humeros tollant, sese affligendo, aut in eam tolli et affigi, seu ab aliis affigi alacriter patiantur.

Considera igitur vocationem tuam, et omnem ejus latitudinem imple. *Aspiciendo semper in auctorem fidei,*

et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio et gloria Patris, *sustinuit crucem, confusione contempta* (1); et *fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est* (2), ita dispositus, ut præ Dei bono, omnia alia bona contemnas. Nihil mali, nec mortem quidem turpissimam et acerbissimam fugias, imo alacriter et gaudenter subeas. Hoc desidera, hoc pete, hoc prosequere, per triplex illud colloquium crebro iterandum.

III. MEDITATIO.

DE INVESTIGANDA DEI VOLUNTATE, ET EXPLORANDA CORDIS DISPOSITIONE.

Præludium I. — Statue te coram Deo et Cœlitibus, cum affectu ipsi quam maxime placendi.

Præludium II. — Pete Divinæ de te voluntatis cognitionem et impletionem.

PUNCTUM I. — Considera quid Deus a te potissimum petat et exigat ad gloriam suam. Vide ad quid te vocet, te invitet, te urgeat frequentibus aut continuis stimulis, illustrationibus, inspirationibus; quo pacto videaris ejus de te beneplacitum implevisse, eique quodam modo satisfecisse. Conare illud clare et distincte cognoscere, idque ipsum a Deo instanter pete. *Domine, quid me vis facere* (3)? Domine, *doce me facere voluntatem tuam* (4), offer te ad omnia. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* (5)

PUNCTUM II. — Considera vicissim quid illud sit, quod a Deo potissimum impetrare velles, et quo obtento animus tuus conquiesceret. Conare similiter illud bene nosse, et pro hoc instanter ora. *Unam petii a Domino, hanc requiram.* (6)

PUNCTUM III. — Considera tandem quidnam impediat quominus et facias quod a te Deus exigit, et impe-

(1) *Hebr.*, 12. — (2) *Exod.*, 25. — (3) *Act.*, 9. — (4) *Ps.* 142. (5) *Ps.* 46. — (6) *Ibid.*, 26.

tres quod vicissim ab illo postulas; et ubi noveris hoc impedimentum, stude illud amovere, corde magno et animo volente.

Colloquium. — Fiat in me, de me, ex me, per me, circa me et omnia mea, sanctissima voluntas tua, semper et ubique, nunc et in æternum, amen, in omnibus et per omnia.

Lectio ex Libello et Directorio de triplici tempore, et duplici modo electionis.

Ex Imitatione Christi, lib. III, cap. 54, de diversis motibus naturæ et gratiæ; et cap. 56, quod nos ipsos abnegare, et Christum imitari debemus per crucem.

XV. CONSIDERATIO.

DE GRADU PERFECTIONIS ELIGENDO.

I. — Tres perfectionis gradus proponi possunt, inter quos fiat electio.

Primus est eorum quibus fixum ratumque est præcepta omnia, tam communia quam particularia, ita accurate servare, ut omnino abstineant ab omni peccato mortali.

Secundus, eorum qui nullum etiam veniale peccatum volunt deliberate admittere; sed non sunt valde solliciti alia vitare, quæ ex subreptione accidunt.

Tertius, eorum qui extremam vitæ puritatem supremamque perfectionem intendentes, proponunt etiam ea quæ ex subreptione accidunt sedulo vitare, aut saltem numero et pondere, quoad possunt, minuere.

II. — His tibi propositis, attende quem finem Deus, vocando te ad hunc statum, sibi proposuerit; et hunc eumdem tibi propone, et regulas eligendi inter illos tres gradus exerce.

III. — Ora Deum, ne permittat te dæmonis, amoris proprii fraudibus abduci a tua et placita sibi perfectionis via; sed ita dignetur mentem illuminare, dirigere sua gratia, ut quod ei placitum est, eligat. Domine, *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (1)

IV — Considera, circa primum illum gradum, quæ tibi ad tuum illum finem, et Dei gloriam commoda eveniant; quæ item incommoda, pericula, si in eo consistas, et singula seorsim scripto notabis. Idem facies circa secundum et tertium gradum seorsim.

(1) *Ps.* 142.

V. — Confer sedulo commoda cum commodis, et incommoda cum incommodis, et tecum dispicies ratiocinando, in quo tandem gradu te constituere debeas. Quid Deus a te petat: et quid alteri consulturus esses? quid in articulo mortis, aut in extremo judicio hic fecisse velles? Idque ipsum facere decerne.

VI. — Ubi electionem ita concluseris, offer illam Deo confirmandam et stabiliendam; et pete u voluntas tua ad illum gradum per gratiam Dei constanter tendat, nec ab illo dimoveri se sinat: *Da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut desideria de tua inspiratione concepta nulla possint tentatione mutari.* (1)

Eadem methodo utendum erit circa imperfectiones aut radices vitiosas in te deprehensas, ut seligas eam quæ prius et potius impugnanda erit, et circa virtutem cujus studio potissimum incumbendum fuerit.

Vide Gaudier, pag. 257, post Exercitium de tribus hominum classibus.

DIES DECIMUS SEXTUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ SEXTUS.

PRÆPARATIO CHRISTI AD VITAM PUBLICAM.

Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. (*Matth.*, c. 3.)

I. MEDITATIO.

DE BAPTISMO CHRISTI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus in Jordane a Joanne baptizatus.
Præludium III. — Pete utriusque virtutes nosse et imitari.

PUNCTUM I. — Christus, priusquam vitam publicam et prædicationem evangelicam aggrederetur, speciali modo se ad illam disponere voluit. Et quamvis *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (2), tamen inter peccatores et publicanos ad baptismum Joannis, sibi neque necessarium neque convenientem, accessit, illis ita similis foris, ut non nisi expressa Spiritus sancti revelatione a Joanne dignosci potuerit. Ita qui

(1) *Orat. Eccles.* — (2) *Hebr.*, 7.

alios purgare aggreditur, nullam sui purgandi occasionem prætermittat, ut *qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (1), alioqui sordes aliorum contrahat, et in dies *sordescat adhuc*. Quid te sordidum peccatorem facere convenit? utique te baptismo pœnitentiæ totum immergere.

PUNCTUM II. — Christus Dominus hic Joanni se submittit, stupendo prorsus humilitatis exemplo; quod admirans Joannes, dicit : *Ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me* (2). Cui Dominus reponit : *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam;* humilitatem scilicet, et obedientiam exercendo. Item dic et fac. Christus hoc facto et Joanni auctoritatem conciliavit, et ab ipso postea testimonium accepit : sic et tu age cum viris apostolicis, certando cum ipsis humilitate et obedientia, ipsis auctoritatem conciliando, cum ipsis ad opus Dei unanimiter concurrendo. Absit hinc turpis æmulatio, contentio, zelotypia.

PUNCTUM III. — *Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua*, et orabat. *Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlo dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (3). Hæc missio Christi authentica; talis est viro apostolico necessaria. Huic necesse est aperiri cœlum, descendere Spiritum Dei, et manere super ipsum, voce Patris eum agnosci Filium. Hoc insigne testimonium Christus meritus est humilitate et oratione. Vade, et tu fac similiter. (4)

COLLOQUIUM. — Pete a Christo per Joannem, spiritum pœnitentiæ, humilitatis et obedientiæ, disponentem ad spiritum apostolicum.

(1) *Apoc.*, 22. — (2) *Matth.*, 3. — (3) *Ibid.* — (4) *Luc.*, 10.

II. MEDITATIO.

DE SOLITUDINE ET JEJUNIO CHRISTI.

Præludium I. — Recole textum Evangelicum.
Præludium II. Specta Christum in eremo orantem.
Præludium III. — Pete imitari.

Punctum I. — Secessus et solitudo (1). *Tunc*, hoc est, statim a baptismo et cœlesti testimonio Jesus plenus Spiritu Sancto, regressus est a Jordane, et secessit ad vitandum plausum, ad gustandum donum cœleste, ad ostendendum interiora potiora esse externis cærimoniis, idque non ad usum, sed ad exemplum nostrum.

1° *Ductus est* (2), quasi sponte sequens, imo *actus* et *pulsus est a Spiritu*, utique sancto, ad notandam vim impulsionis et celeritatem obsequii; nam *qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (3). Stude et tu non tam agere quam agi a Spiritu Dei. Omnes ejus motiones diligenter adverte, et fideliter sequere, eique te totum permitte.

2° Sed quo? *in desertum.* Spiritus mundi solitudinem fugit, frequentiam quærit : Spiritus Dei contra. *Ducam eam*, inquit, *in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (4). Hæc viris apostolicis in primis necessaria est. Qui omnes, ut jam olim Moyses et prophetæ, et post Joannes præcursor Domini, solitudinem amarunt quæsierunt, coluerunt, quod et apostoli postea fecerunt exemplo Christi, ad hauriendum inde Spiritum Dei aliisque communicandum, et ad perficiendum opus ejus. Quis tibi animus? quis solitudinis amor?

Punctum II. — Vita in deserto.

1° Solitudinem perfectam servavit, nullo homine viso, *erat cum bestiis* solis (5). Esto solitarius non corpore solum, sed etiam animo.

2° Silentium custodivit absolutum, nullo verbo pro-

(1) *Matth.*, 4. — (2) *Ibid.*; *Luc.*, 4; *Marc.*, 1. — (3) *Rom.*, 1. — (4) *Os.*, 2. — (5) *Marc.*, 1.

lato. *In silentio et spe erit fortitudo tua* (1). *Et cultus justitiæ silentium, et securitas.* Et *bonum est præstolari cum silentio salutare Dei* (2). Legem silentii inviolabiliter serva.

3° Tota ejus conversatio in cœlis erat; perdius et pernox orationi vacabat, Deo soli, divinisque intentus. Se totum ejus gloriæ, hominumque saluti devovebat; futura omnia prospiciens, agenda animo disponebat. Apostolos, virosque apostolicos omnes et singulos seorsim Patri commendabat. Imo pro omnibus fidelibus specialiter, et generaliter pro omnibus omnino hominibus orabat. Adjunge te illius orationi.

4° Orationi vigilantiam perpetuam adjungebat, semper Deo sibique intentus. Satanæ insidias prævidebat et præveniebat, facto præveniens illud suum consilium : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (3) ; idque non ad usum suum, sed ad exemplum nostrum.

Hæc meditare, in his esto, hoc tertiæ probationis et recollectionis tempore ; ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

Punctum III. — Jejunium et austeritas vitæ.

I. Jejunare voluit, ut, sicut perditio hominis per gulam cœperat, ita salus inciperet per abstinentiam, ut impleret figuram in Lege et prophetis præmissam, ut doceret hinc incipiendam carnis mortificationem, et virtutum acquisitionem et abstinentiam maxime incipientibus esse necessariam, ad satisfaciendum pro peccatis, ad carnem subjugandam, vitia comprimenda, et passiones edomandas.

II. Quale fuit Christi jejunium ? 1° prolixum ; jejunavit enim quadraginta diebus et quadraginta noctibus continuis (4) ; 2° strictissimum : nihil manducavit, ne-

(1) *Is.*, 30 *et* 32. — (2) *Thren.*, 3. — (3) *Matth.*, 26. — (4) *Matth.*, 4; *Marc.*, 1 ; *Luc.*, 4.

que bibit illo tempore; ne veritas figuræ cederet, et Christus a Moyse et Elia superaretur; 3° carni molestum; neque enim putandum est Christum hominem veram jejunii molestiam non sensisse, etsi postea magis esuriit; 4° spiritui tamen jucundum, ut in Moyse et Elia, quia ex consortio Dei intus reficiebantur. Sic tu Christum pro modulo sequens saltem a longe, serva accurate jejunium quadragesimale.

III. Jejunio accessit omne austeritatis genus. Habitatio sub dio, humi cubatio, expositio omnibus cœli solique incommodis, vigiliæ perpetuæ, ut non plus somno quam cibo indulgeret, possetque dicere cum Jacob : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* (1)

Hæc præludia vitæ apostolicæ; hæc media Deum sibi, aliisque propitiandi; hæc arma Christi, quæ induere debet quisquis eum serio sequitur.

Colloquium. — Pete in tertium annum, et in totam vitam, triplicem illum spiritum solitudinis, orationis, et mortificationis seu austeritatis.

III. MEDITATIO.

DE TENTATIONE CHRISTI.

Præludium I. — Historia Evangelica.
Præludium II. — Satanas sub humana specie Christum adoritur.
Præludium III. — Dic: Domine, *ne nos inducas in tentationem.* (2)

Punctum I. — Christus tentatus.

1° *Ductus est in desertum, ut tentaretur a diabolo* (3) : hoc est ut eum ad certamen provocaret; ut exemplo suo nobis præiret ad excipiendas, vincendasque tentationes, ut tentatis compateretur, ut gratiam mereretur

(1) *Genes.*, 31. — (2) *Matth.*, 6. — (3) *Ibid.*, 4.

ad resistendum. Deus quidem neminem tentat, sed filios suos et alios tentari permittit, non tamen ultra id quod possunt. Confide, quia *fidelis est Deus, qui facit cum tentatione proventum ut possis sustinere.* (1)

2° *Tentabatur a Satana.* Quem non audeat tentare, si Christum ipsum aggreditur. Si *militia est vita hominis super terram* (2), maxime vita apostolica. Hic est cibus ejus electus. *Fiduciam habet, quod Jordanis influet in os ejus* (3). *Accedens igitur ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* (4)

3° *Tunc accessit tentator.* Non antea, cum Christus vitam communem ageret. Sed ubi vidit eum in deserto tam diu, tota die et nocte tam stricte jejunantem; tunc prima data occasione adoritur solum, esurientem, sub aliena specie, ne se prodat, et quidem blandiendo, adulando; *si filius Dei es.* Si principium, medium et finem examines, agnosces eum in cauda serpentina.

Punctum II. — Resistit, et vincit, et utrumque suo nos exemplo docet. 1° Antevertit tentationes adhibitis earum contrariis. 2° Resistit prompte, sine mora : principiis obstat : prudenter, sine turbatione; fortiter, sine timore; constanter, sine cessatione. Adhibito verbo Dei : *Scriptum est : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (5). 3° Tunc victus diabolus *recessit ab illo usque ad tempus* (6) : et tu, prudens et fortis, in fide resiste diabolo, et fugiet a te, sed ad tempus, ne torpeas aut elatus fias. 4° *Et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (7) : hic fructus victoriæ animet te ad resistendum.

Punctum III. — Christus tres tentationes tolerat, et superat Apostolicorum virorum proprias. 1° Est gulæ,

(1) *I Cor.*, 10. — (2) *Job.*, 7. — (3) *Ibid.*, 40. — (4) *Eccli.*, 2. — (5) *Ps.* 118. — (6) *Luc.*, 4. — (7) *Matth.*, 4.

et sensualitatis, prætextu necessitatis diversa pro diverso gradu, vincitur contemnendo; 2° vanæ gloriæ, sub specie boni et fiduciæ in Deo, vincitur detegendo illusionem; 3° avaritiæ et ambitionis, *quod est idolorum servitus* (1). *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (2). Rejicitur cum aperta indignatione : *Vade retro, Satana; scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis.* Hæ tentationes, nisi perfecte victæ, sæpe recurrunt in vita apostolica.

Colloquium.—Pete a Domino ejus exemplo sic pugnare et vincere; rejita : *Anima Christi,* etc.

Lectio in Directorio de praxi electionis repetenda ex Libello; item de sermone Domini in monte. Lege de Imit. Christi, lib. I, cap. 13, de tentationibus reprimendis; et cap. 20, de amore solitudinis et silentii.

XVI. CONSIDERATIO.

DE RECTITUDINE ET PURITATE INTENTIONIS.

I. — Lege et perpende accurate Summarii Constitution. §. 17, ex quo intentio nostra non solum in genere et circa vitæ nostræ statum, sed etiam in particulari circa res omnes et singulas, adeoque in qualibet actione nostra debet esse recta et pura, et ex omni parte perfecta.

II. — Rectitudo autem intentionis consistit in eo, ut non declinet a fine debito, nec admittat ullum motivum inordinatum quod potest esse quadruplex; 1° vanitas, seu appetitus honoris, æstimationis et laudis humanæ; 2° respectus humanus, seu desiderium placendi vel timor displicendi hominibus propter ipsos; 3° lucrum aut commodum proprium; 4° voluptas, seu consolatio et satisfactio propria. Appetitus alicujus horum pervertit et corrumpit intentionem, eamque a recto fine gloriæ Dei avertit.

III. — Puritas intentionis postulat ut absit omne motivum alienum, quamvis bene ordinatum; solusque Deus spectetur et gloria ejus.

IV. — Quamvis autem directe et principaliter quæratur gloria Dei, simul quæri potest indirecte et secundario, 1° aliquod commodum temporale, puta propria satisfactio : et hoc periculosum; 2° propria salus et sanctificatio, et hoc bonum subordinatum et inseparabile est; sed non est tunc pura intentio

(1) *Ephes.*, 5. — (2) *Matth.*, 4.

gloriæ Dei. Ab hoc ergo abstinendum est, juxta Regulam 17, quæ vult ut *serviamus et placeamus Divinæ Bonitati propter seipsam*, ubi tres gradus distingui possunt: primus est ut non quæramus bona creata: secundus, neque nos ipsos et nostra; tertius, sed Deum solum, ejusque gloriam positive quæramus et optemus.

V. — Rursus triplex motivum, seu tres modos distinguit placendi Divinæ Bonitati: 1° propter seipsam, et hoc optimum; 2° propter charitatem qua prævenit nos, et hoc etiam eximium; 3° propter eximia beneficia quibus etiam nos prævenit, et hoc etiam excellens: sic enim diligimus Deum, quia prior dilexit nos. Duplex autem aliud motivum subjungit subsidiarium, bonum quidem, sed minus perfectum, scilicet ob spem præmiorum vel metum pœnarum, quibus tamen interdum juvari possumus, ut ad altiora illa perveniamus, aut ab illis ne recedamus.

VI. — Denique vult eadem Regula ut Nostri *in omnibus quæ agunt Deum exuentes se amore omnium creaturarum, affectum omnem in Deum conferendo, amando illum in omnibus et omnia in eo, juxta ipsius voluntatem.* Hæc meditare, et ad hæc enitere.

VII. — Perfectio hujus intentionis petit, 1° ut sit universalis distributive, se extendens ad omnia et singula; 2° ut sit maxima objective et extensive, quærens non tantum Dei gloriam, sed majorem Dei gloriam; 3° ut sit summa appretiative præferens minimam Dei gloriam cuivis bono creaturæ; 4° ferventissima intensive; 5° continua, adeoque semper actualis, aut virtualis.

DIES DECIMUS SEPTIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ SEPTIMUS.

VITA CHRISTI PUBLICA.

Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. (*Matth.*, 4.)

I. MEDITATIO.

DE VOCATIONE ET ELECTIONE APOSTOLORUM.

Præludium I. — Christus convocans Discipulos, et ex illis eligens duodecim Apostolos. (1)

Præludium II. — Pete vocationem tam agnoscere et implere.

PUNCTUM I. — Ad quid Christus eos vocavit?

1° In electos discipulos, quos præ cæteris per se ipsum verbo et exemplo erudivit.

(1) *Luc.*, 6.

2° In amicos intimos, familiares assiduos, continuos commensales, quos nihil celavit.

3° In socios et participes magni illius negotii, quod ipsi a Patre commissum erat.

4° In Apostolos, seu missos et legatos, in vicarios sibi substitutos, in fundatores et principes Ecclesiæ suæ.

Nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum. (1)

Et tu, ad idem quoque vocatus, agnosce tanti officii dignitatem, tuam ipsius indignitatem, vocantis dignationem. Gratias age, time, et cave.

PUNCTUM II. — Quosnam, et quales?

1° Natura Galilæos, a Judæis quidem contemptos, sed laboriosos et militares, plerosque fratres, propinquos, aut sanguine junctos. Tales virtute fiant viri Apostolici.

2° Conditione pauperes, rudes, rusticanos, vili, sed innoxio opificio vitam tolerantes; erant enim plerique piscatores et navicularii.

3° Moribus simplices, sine dolo, pios et timoratos, salutis studiosos, Messiam quærentes; sapientes tamen et eruditos non exclusit, simul peccatores ad humilitatem, ut Matthæum et Paulum.

4° Hos solos Discipulos admisit, solos Apostolos elegit, qui vocati statim relictis omnibus obsecuti fuerant, rejectis iis qui aut non vocati se ingesserant, aut vocati moras traxerant.

Vide hic quis et qualis sis, et qualis esse debeas ad respondendum vocationi divinæ; et recole devotam illam et vere humilem sancti Francisci Borgiæ gratiarum actionem.

(2) *Ps.* 138.

Punctum III. — Quomodo primum vocavit in Discipulos, dein elegit in Apostolos.

1° Vocavit autem diversimode, prout noverat cuique magis expedire. Alios simpliciter : *Venite post me* (1) ; alios promissa mercede congrua : *Faciam vos fieri piscatores hominum* (2) ; alios sola invitatione : alios jussu et auctoritate, ut Matthæum : *Sequere me.* In quo ostendit multiformis gratiæ suæ vim simul et suavitatem admirabilem.

2° Post traductam in oratione noctem, convocatis ad se omnibus (3), elegit ex illis eos solos quos ad id muneris a Patre destinatos noverat. Oraverat autem, non pro illis solis, sed et pro omnibus viris apostolicis. Hinc Apostolorum fiducia in Deo, qua freti tanta tamque ardua aggressi sunt, et feliciter perfecerunt.

Hic recole vocationem, electionemque tuam, et satage per bona opera utramque confirmare.

Punctum IV. — Quomodo responderunt vocationi?

1° Responderunt fideliter, integre, constanter. Vide ut, contemptis et relictis omnibus, Christo Domino adhæserint. Si qui ex infirmitate lapsi sunt in passione, statim per pœnitentiam surrexerunt. Et post Christi Ascensionem in orbem dispersi Evangelium et Christum crucifixum ubique prædicaverunt, et fuso sanguine confirmarunt.

2° Unus tamen, Judas Iscariotes, fuit desertor, proditor, et *dux eorum qui comprehenderunt Jesum* (4), qui desperans laqueo sibi vitam ademit. Hinc timor, inde fervor.

Colloquium. — Pete a Domino per Apostolos spiritum apostolicum.

(1) *Matth.*, 4. — (2) *Marc.*, 1. — (3) *Luc.*, 6. — (4) *Act.*, 1.

II. MEDITATIO.

DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

Præludium I. — Christus sedens in monte, Discipulis circumstantibus. (1)

Præludium II. — Pete sermonem ejus probe intelligere, et perfecte implere.

PUNCTUM I. — Sermonis prima pars continet octo beatitudines. Eas considera relative ad nos, ad proximum, ad Deum, et in singulis Christi consilium, exemplum, promissum, contrarium.

1° Tres ex illis spectant quemlibet nostrum, et apte referuntur ad tertium humilitatis modum; nempe : *Beati pauperes spiritu : Beati qui lugent : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (2)

2° Tres spectant proximum, et functiones apostolicas mirifice condiunt et commendant. *Beati mites*, qui in patientia possident animas suas: *Beati misericordes.... Beati pacifici*, qui peccatores cum Deo, et inter se reconciliant.

3° Duæ magis proprie spectant Deum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ;* et : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Puritas cordis ab omni labe peccati mortalis et venialis, et ab omni sorde affectus ad creaturas ; et ardens desiderium sanctitatis, aut Crucis Christi dant tres modos humilitatis.

PUNCTUM II. — Altera pars sermonis de triplici munere apostolico perficiendi, illuminandi, purgandi. 1° *Vos estis sal terræ* (3), præsertim vitæ exemplo. *Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* 2° *Vos estis lux mundi*, maxime doctrinæ adjumento. *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum.* Cave

(1) *Matth.*, 5. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.*

ne acceptum talentum infodias. 3° *Non potest abscondi civitas supra montem posita.* Civitas illa unita est per charitatem, per communitatem habitationis, bonorum, voluntatum; per vitam cœlestem a terrenis abstractam, Deo assidue adhærentem. Vide qualis tua sit, et stude ut talis sit.

PUNCTUM III. — Sermonis tertia pars. Perfectio vitæ consentanea doctrinæ.

1° *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (1); quare? quia *dicunt, et non faciunt* (2). Ne imiteris. Si justitia christiana superat judaicam, debet et religiosa superare secularem.

2° *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (3); id est, erit aut postremus aut nullus, quia ipsi dicetur: *Ex ore tuo te judico.* (4)

3° *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum,* ad exemplum Christi, qui *cœpit facere et docere* (5). Qui enim verbo et facto *ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (6)

COLLOQUIUM ad Christum legislatorem, consiliarium, doctorem et adjutorem.

III. MEDITATIO.

DE CHRISTI CONVERSATIONE.

Præludium I. — Specta Christum cum Discipulis familiariter agentem.

Præludium II. — Pete gratiam illius imitandi.

PUNCTUM II. — Considera quam raro, quam parce, quam breviter Christus cum hominibus versatus sit;

(1) *Matth.*, 5. — (2) *Ibid.*, 23. — (3) *Ibid.*, 5. — (4) *Luc.*, 19. — (5) *Act.*, 1. — (6) *Dan.*, 12.

quantopere solitudinem silentiumque coluerit, quamvis nihil ipsi ab hominum congressu timendum, multum ipsis ab eo esset sperandum, qui *verba vitæ æternæ haberet* (1). Ex triginta tribus annis, totos triginta quasi in solitudine silentioque exegit; vix tres ultimos colloquio dedit, quod tamen ad fructum Missionis necessarium videbatur. Et ex istis tribus, quantum etiam temporis orationi impendit.

Disce hinc hominum consortia et colloquia plerumque inutilia, sæpe et noxia, semper periculosa fugere, solitudinemque et silentium, quantum potes, colere. *Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet. ; nemo secure loquitur. nisi qui libenter tacet. Quoties inter homines fui,* inquit Thomas a Kempis, lib. I,. cap. 20, *minor homo redii.* Nonne et tu eadem expertus es?

PUNCTUM II.—Quæ norma, quæ leges conversationis Christi?

1° Quibuscum agebat? cum omnibus, sine personarum acceptione; imo potius cum *simplicibus*, et humilibus *erat sermocinatio ejus* (2). *Pauperes,* inquit, *evangelizantur* (3); *talium est regnum cœlorum.* (4)

2° De quibus loquebatur? non de vanis, aut noxiis, sed de regno Dei et justitia ejus.

3° Quid libenter audiebat? an mala, aut proximis noxia sibi obtrudi passus esset?

4° Qua patientia, mansuetudine, charitate defectus secus agentium tolerabat! qua benignitate, ubi opus erat, corrigebat!

5° Qua modestia, affabilitate, suavitate omnes ad se trahebat et lucrifaciebat!

6° Semper serius, nunquam se in jocos effundebat; unde pluries flevisse, nunquam risisse legimus. Has leges ama et sequere.

(1) *Joann.*, 6. — (2) *Prov.*, 3. — (3) *Matth.*, 11. — (4) *Ibid.*, 19.

Punctum III. — Quis spiritus conversationis Christi?

1° Nunquam colloquebatur, nisi ex intentione recta et pura gloriæ Dei.

2° Ex solo Patris beneplacito colloquium inchoabat, prosequebatur, abrumpebat.

3° Sic agebat cum hominibus, ut Deo semper et præcipue præsens esset.

4° Sic sibi attendebat, ut ab omnium insidiis dolisque caveret. *Quid me tentatis, hypocrita?* (1)

5° Sic iis quibuscum agebat, ut singulorum ingenio et necessitati vel utilitati sese accommodaret, fieretque omnia omnibus.

Hiccine est spiritus tuus? vide in quo deficias, et hoc emenda ad exemplar.

Colloquium. — Pete a Christo sanctam et apostolicam conversationem.

Lege Regulas de fide orthodoxa; ex Director. cap. 38 et reliqua, de electione.

Ex lib. I, de Imitat. Christi, cap. 10, de cavenda superfluitate verborum; cap. 16, de sufferentia defectuum alienorum; et lib. III, cap. 9, 17 et 18; item lib. I, cap. 5.

XVII. CONSIDERATIO.

DE LECTIONE PIA, ET AUDITIONE VERBI DIVINI.

1° Lectio libri pii quam utilis sit, præter alia innumera, manifestat exemplum sancti Ignatii, qui, ex fortuita lectione vitæ Christi et Sanctorum conversus, ad tam insignem sanctitatem pervenit.

2° Libri pii litteræ sunt e cœlo ad nos allatæ, nosque illuc revocantes. Verbum Dei ad nos directum, in otio a nobis regustandum, speculum est in quo homo se intuens, quæ prava sunt in se corrigat, quæ pulchra plus ornet.

3° Nullus prætereat dies, in quo non aliquid pium legas, tempore et spatio ad id præfixis.

(1) *Matth.*, 22.

4° Lectioni præmittenda intentio profectus spiritualis; legendi scilicet non ut doctior, sed ut melior fias.

5° Lege non cursim et festinanter, sed graviter et morose, ut lecta non tantum memoriæ inhæreant, sed intellectum persuadeant et cor penetrent. Gallinæ bibentis instar caput ad cœlum identidem erige.

6° In legendo modum serva, nec curiositate et aviditate abripiaris; ut nimietas ciborum obruit stomachum, ita lectorum animum.

7° Lectionem oratione conclude, ut confirmet Spiritus Sanctus quæ operatus est in te.

8° Quæ legeris sedulo conserva in corde tuo; identidem rumina et regusta, et quamprimum ad praxim redige, juxta illud: *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vos ipsos.* (1)

1° Verbum Divinum viva voce prolatum sæpe efficacius est quam scriptum et lectum: sic Deus per Prophetas et Apostolos locutus est: imo sic locutus est nobis in Filio, qui nihil scripsit.

2° Ideo libenter et frequenter ad Conciones et Exhortationes accede, cum ardenti desiderio verbi Divini, tanquam cibi animæ, ut melior et sanctior evadas.

3° Ante Concionem præpara animam tuam per orationem ut in ipsam introeat sapientia, et verbum Dei bene cadat, fructumque ferat in te et in aliis quos cum Concionatore commendabis.

4° Intuere Deum in dicente; et esto auditor humilis, benevolus, attentus, docilis, non morosus, curiosus, aut criticus.

5° Quæ dicuntur, tibi potius quam aliis applica, ut Dei te alloquentis verba: et aliquid specialiter nota.

6° Post Concionem Deo statim gratias age, et pete ut *semen verbi Divini* in te aliisque maneat, et *ortum faciat fructum centuplum* in tempore suo. (2)

DIES DECIMUS OCTAVUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ OCTAVUS.

APOSTOLICÆ VITÆ EXERCITIUM.

Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. (II *Cor.*, 5.)

(1) *Jacob.*, 1. — (2) *Luc.*, 8.

I. MEDITATIO.

DE MISSIS AD PRÆDICANDUM APOSTOLIS.

Præludium I. — Audi Christum dicentem Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (1)

Præludium II. — Pete gratiam cognoscendi et implendi Missionem tuam.

PUNCTUM I. — Christus primum format Apostolos.

1° Exemplo ; nam triennio toto versatus cum illis die ac nocte, coram illis indesinenter egit omnia, prædicavit, regnum Dei annuntiavit, peccatores vocavit ad pœnitentiam, et ad Deum convertit. Omnes officia sua docuit, a vitiis avertit, ad virtutes allexit et incitavit, miracula passim edidit ; et hæc omnia sub oculis eorum.

2° Verbo ; tum ante passionem, tum post resurrectionem, eos studiose docendo et instruendo, quæ cavenda, quæ vitanda, quæ præstanda ad finem gloriæ Dei et salutis animarum.

3° Facto ipso ; applicans illos primum ad breves et faciles Missiones, ad solos Israelitas, sub oculis suis obeundas (2), ante præscribens illis materiam et formam ; et post retundens vanam eorum complacentiam de successu, his verbis : *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Et reduces in solitudinem secum ducens ad spiritus resumendos, sibique et Deo vacandum ; ut hinc discerent quid faciendum esset in majore et graviore Missione, quam sibi relicti obituri erant in universo mundo, solo duce Spiritu Sancto.

PUNCTUM II. — Præscribit illis exercitia et functiones Missionis.

1° Ad quos mittit ? *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis ; sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel* (3), primum domesticis fidei, et facilioribus.

(1) *Joann.*, 20. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *Matth.*, 10.

2° Materiam prædicationis. *Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum.* (1) Spes propinqua regni, et quidem cœlestis; mercedis amplitudo et æternitas, et hujus vitæ brevitas duo sunt conversionis motiva. *Pœnitentiam agite,* et *regnum cœlorum vim patitur* (2): duo media necessaria.

Hæc materia ordinaria prædicationis : forma autem simplex, sed dictio et actio ardens. De his cogita.

3° *Cum autem tradent vos ad reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (3). Confide igitur in casu extraordinario.

4° Aliæ functiones. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* (4)

Hæc omnia operare, saltem spiritualiter. Quin et corporaliter quantum poteris ad ædificationem ; sed præcipue hoc ultimum serva : *Gratis accepistis, gratis date.* (5)

5° *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui* (6). Orandum pro auditoribus et benefactoribus. *Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra: sin autem, ad vos revertetur.* (7)

PUNCTUM III. — De suscipientibus aut spernentibus Missionem.

1° *Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit* (8). Hinc dignitas Missorum a Deo.

2° *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* (9)

3° *Quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras, excutite pulverem de*

(1) *Matth.*, 10. — (2) *Ibid.*, 4 et 11. — (3) *Ibid.*, 10 — (4) *Ibid.* — (5) *Ibid.* — (6) *Luc.*, 10. — (7) *Ibid.* — (8) *Matth.*, 10. — (9) *Luc.*, 10.

pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. (1)

Addit Dominus : *Væ tibi, Corozaïn, væ tibi, Bethsaïda, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes, pœnituissent; verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio quam vobis.* (2)

Hinc disce debitam verbo Dei, ejusque Ministris reverentiam, et fructum Divino semini respondentem.

Item disce a tanto Magistro Missionis tuæ excellentiam et modum, ejusque spiritum indue ; ut merito dicere possis : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* (3). Hæc in colloquio pete.

II. MEDITATIO.

DE MISSIONE SEPTUAGINTA DUORUM DISCIPULORUM.

Præludium I. — Christus illis benedicens, et binos mittens. (4)

Præludium II. — Pete benedictionem, et Spiritum quo illos implevit.

PUNCTUM I. — Præmissa, seu præparatio ad hanc Missionem.

1° *Post hæc;* post Missionem duodecim apostolorum, *designavit Dominus alios septuaginta duos*, multo plures secundi ordinis futuri Sacerdotes, nimirum sextuplo plures pro numero linguarum.

2° *Et misit illos binos* ad solatium et auxilium mutuum. Væ soli! *frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* (5)

3° *Ante faciem suam;* ad fervorem in eis excitandum, alendamque fiduciam.

(1) *Matth.*, 10. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *II Cor.*, 5. — (4) *Luc.*, 10. — (5) *Prov.*, 18.

4° *In omnem civitatem et locum;* etiam in pagos et villas. Ne dedigneris.

5° *Quo erat ipse venturus;* ad præparandam Christo, ejusque gratiæ viam. *Prædicatores enim suos Dominus sequitur; quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit.* Hunc finem assiduo intuere.

6° *Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci;* ad excitandum zelum et diligentiam, ut unus laboret pro multis. Hoc tibi dictum puta, et geme cum sancto Gregorio Magno.

7° *Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* ut potest ad gloriam suam. Zelo ergo et labori junge orationem ad fructum; et cogita esse messem Dei, quæ non fert otiosos aut desides.

PUNCTUM II. — Virtutes in missione exerceri jussæ, contrariis sedulo vitatis.

1° Fiducia. *Ecce ego mitto vos.* Cogita emphasim verborum illorum, et confide.

2° Mansuetudo et patientia. *Sicut agnos inter lupos;* imo *in medio luporum* (1), eorum morsibus expositos.

3° Prudentia. *Estote prudentes sicut serpentes.* (2) Serpens caput suum involvit, et objecto corpore tegit : et tu omnium dispendio animam serva; serva fidem et charitatem.

4° *Simplicitas columbæ* adjuncta; est sine felle, sine dolo : quæ et pullos sibi auferri patitur, et nihilominus pro innata fœcunditate alios et alios sufficit.

5° Humilitas. *Gratis accepistis,* et quidem in utilitatem aliorum, gratias gratis datas.

6° Liberalitas sine inquisitione proprii commodi : *gratis date :* juxta spiritum Societatis.

(1) *Matth.*, 10. — (2) *Ibid.*

7° Fortitudo. *Tradent enim vos in mortem, et flagellabunt vos : sed nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

Vide ex his virtutibus, quæ tibi adsint aut desint; et stude omnes tibi comparare.

Punctum III. — In missione specialiter cavenda et vitanda.

1° Pretiosa quæ ad divitias pertinent. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* (1)

2° Onerosa et superflua. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque virgam.* (2)

3° Commoda. *Neque calceamenta, neque duas tunicas* (3), habeatis ad mutandum.

Hæc omnia contraria sunt, ut patet, apostolicæ paupertati quæ ad ædificationem plurimum valet.

4° Sollicitudo rerum temporalium, etiam necessariarum. *Nihil tuleritis in via, neque panem* (4) ; *dignus est enim operarius cibo suo.* (5)

6° Circumcursatio et mutatio domus. *In quamcumque domum intraveritis, ibi manete* (6), et *nolite transire de domo in domum* (7), cum offensione hospitum et aliorum. Sed *in quamcumque civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis.*

6° Affectio ciborum lautiorum. *Manducate quæ apponuntur vobis* (8); his contenti estote.

7° Officia et visitationes superfluæ. *Neminem per viam salutaveritis* (9), cum jactura temporis.

Hæc omnia pugnant specialiter cum mortificatione apostolica et mundi contemptu.

(1) *Matth.*, 10. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *Matth.*, 10. — (4) *Luc.*, 10. — (5) *Matth.*, 10. — (6) *Luc.*, 9. — (7) *Ibid.*, 10. — (8) *Ibid.* — (9) *Ibid.*

Hæc omnia Christi seu præcepta, seu consilia, cum reverentia et gratiarum actione accipe, et, pro posse, prudenter ac religiose observa. Id ipsum in colloquio postula.

III. MEDITATIO.

DE MISSIS IN UNIVERSUM MUNDUM APOSTOLIS.

Præludium I. — Christus insufflans in Apostolos, et dicens: *Accipite Spiritum Sanctum,* (1) ite in universum mundum.
Præludium II. — Pete hunc Spiritum, et debitam Divinæ Missionis æstimationem.

PUNCTUM I. — Natura hujus missionis.

1° Auctor est Deus sibi sufficiens, nullius egens, qui, ex mera liberalitate, dignatur effundere se extra se, nec tantum hominem creare, sed etiam homo fieri, ut errantem hominem ad se reducat. Filius ergo missus a Patre propagat in alios homines missionem suam: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (2)

2° Non ad solos Judæos, ut prius, sed jam ad omnes omnino homines illos mittit: *Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (3). Cogita igitur et assidue memorare, te ad omnes et singulos esse missum.

3° Finis. Ad inserendam omnibus Dei cognitionem, amorem, cultum, obsequium. *Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum.* S. Dionys.

4° Modus autem cooperandi oratione, exemplo, prædicatione, sacramentis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* et *docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis.* (4)

Vide et mirare apostolorum legationem; et cœlestis vocationis particeps effectus, considera Dei dignationem,

(1) *Joann.*, 20. — (2) *Ibid.* — (3) *Matth.*, 28; *Marc.*, 16. — (4) *Matth.*, 28.

et tuam indignitatem, et vocationi fideliter responde.

Punctum II. — Media seu instrumenta a Deo apostolis data ad mundi conversionem et animarum salutem tria sunt præcipua : doctrina, sanctitas et potestas apostolis a Christo data, partim ante passionem, partim post resurrectionem, sed per Spiritum Sanctum juxta Christi promissionem in die Pentecostes plenius infusa ; nempe scientia de Deo rebusque divinis, et a Deo ab initio revelatis, cum dono linguarum ad eam communicandam. Sanctitas perfecte fundata in virtutibus fidei, spei, charitatis et religionis ; et potestas alios sanctificandi per prædicationem et sacramenta, quæ est potestas ordinaria in successione transferenda. Cui adjuncta erat in apostolis potestas extraordinaria patrandi miracula etiam majora quam Christus, ut ipse promiserat.

Hæc Dei dona manent semper in Ecclesia ; sed duo prima, nempe doctrina et sanctitas, proprio studio a singulis comparanda sunt cum adjumento gratiæ. Tertium, nempe potestas ordinaria conferendi sacramenta, accipitur in ordinatione. Extraordinaria autem potestas edendi miracula et donum linguarum interdum datur a Deo viris sanctis, cum expedit ad conversionem infidelium, ut Francisco Xaverio ad Indorum et Japonum, et Josepho Anchietæ ad Brasiliorum et Americanorum conversionem.

Cæterum potestas illa ordinaria sanctificandi homines, et ad æternam Dei fruitionem perducendi, quæ nec angelis concessa est ; de qua propheta admirabundus dicit : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (1) ; tibi vilissimo homuncioni confertur. Quæ dignatio ! quid retribues Domino pro omnibus ? vide quomodo ea utaris ad Dei gloriam, et salutem animarum.

(1) *Ps.* 138.

Punctum III. — Exercitium hujus missionis habetur Marci ultimo his verbis : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.*

1° Illi nimirum apostoli a Christo electi, et missi Spiritu Sancto pleni.

2° Profecti Jerosolymis, unde incipiendum erat, juxta illud : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* (1)

3° Quo profecti? *in universum mundum*, juxta pactionem regionum ab ipsis divino instinctu factam.

4° Prædicaverunt verbo et exemplo, doctrinam Christi annuntiantes.

5° Ubique, non solum in omnibus imperii Romani provinciis, sed in barbaris quoque regionibus notis.

6° Domino cooperante per specialem assistentiam, juxta promissionem Christi.

7° Et sermonem confirmante sequentibus signis, sive miraculis. Quin et ipsi prope omnes, fuso sanguine, confirmarunt.

Punctum IV. — Fructus hujus missionis fuit :

1° Conversio totius mundi, ab idolorum cultu multiplici, ad salutarem cultum unius Dei veri et vivi.

2° Fundatio Christi Ecclesiæ visibilis, contra quam nec portæ inferi, nec seculi potestates, nec tyrannorum persecutiones prævalere potuerunt.

3° In ea perpetua pastorum et virorum apostolicorum successio usque ad consummationem seculi duratura.

Et hinc missionis nostræ auctoritatem accipimus, velut quoddam missionis apostolorum complementum.

Colloquium. — Pete in omnibus Christi et apostolorum missionem ac spiritum sequi.

(1) *Is.*, 2.

Legenda ex Libello, de vitæ emendatione: Regula de eleemosynis, cum Directorio, cap. 34; item Introductio ad II et III partem Meditat. Ludov. de Ponte.

Item de Imitat. Christi, lib. I, cap. 15, de operibus ex charitate factis; lib. III, cap. 51, quod humilibus insistendum est operibus, cum deficitur a summo.

XVIII. CONSIDERATIO.

DE OFFICIIS HUMILITATIS ET CHARITATIS, DOMESTICIS ET EXTERNIS.

I. — Circa utraque attende ad Regul. Summ. 19: *Magnopere confert devote ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas;* et ad Regulam 15: *In exercendis humilitatis officiis promptius ea suscipi convenit, a quibus sensus magis abhorrebit.* Versari autem debet ob oculos Christus Dominus, vel Discipulis pedes lavans, vel similia exercens in domo materna, cum desiderio ipsum imitandi.

II. — Humilia exercitia domestica, vel propriæ tantum humilitati serviunt, vel etiam alienæ utilitati.

1° Primi generis sunt proprias culpas palam in triclinio confiteri: de omnibus in genere veniam petere; aliorum pedes osculari; humi vel flexis genibus manducare.

2° Secundi generis, manducantibus aliis legere in triclinio, ministrare mensis, lances et alia vasa in culina lavare vel tergere; tempore recreationis claves domus servare, et ad januam pulsantibus respondere. His addi potest visitatio infirmorum in valetudinario, ad eos consolandos aut juvandos, juxta Regul. 29 Commun.

3° In prioribus sola humilitas et negatio sui, in posterioribus etiam fraterna charitas exercetur.

III. — Externa humilitatis et mortificationis exercitia sunt:

1° Ostiatim mendicare.

2° In vili et lacero habitu incedere.

3° Comitari emptorem et ea quæ empta sunt; domum referre et similia quæ nemo debet facere injussus, ex Reg. 6 comm. jussus autem libenter facere debet ad propriam sui abnegationem, ex §. 11 Summar.

IV. — Externa simul humilitatis et charitatis officia hæc sunt:

1° Pauperes et pueros cœlesti doctrina instruere ad januam collegii, in compitis, in hospitali, et in privatis eorum domibus.

2° Visitare pauperes et infirmos in xenodochiis et nosocomiis, in tuguriis, eisque in spiritualibus et corporalibus inservire, stipem illis distribuere, eos docere, consolari, confitentes audire, etc.

3° Similia exercere erga milites in custodiis, erga peregrinos ubivis.

4° Capite damnatos ad supplicium præparare et comitari.

5° Dissidentes reconciliare, moribundos juvare, miseris omnibus opitulari.

Hæc omnia ministeria Societatis nostræ valde propria sunt, a sancto Fundatore commendata, et a primis Patribus nostris cum ædificatione usurpata, in quibus elucet præcipue charitas et zelus animarum.

DIES DECIMUS NONUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ NONUS.

VIRTUTES APOSTOLICÆ AD SE.

Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. (*Matth.*, 8.)

I. MEDITATIO.

DE PAUPERTATE APOSTOLICA.

Præludium I. — Hæc ipsa verba audi a Christo.
Præludium II. — Pete gratiam illa capiendi et implendi.

PUNCTUM I. — Præcepta paupertatis apostolicæ tradita.

1° *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (1). Hic est sumptus necessarius *ad perficiendam turrim Evangelicam. Prius sedens computa.*

2° *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque saccum, neque peram, neque virgam.* (2) Quo prohibentur pretiosa, superflua, non necessaria.

3° *Gratis accepistis, gratis date* (3). Quo vetatur ne quid ob ministerium accipiatur, etiam sponte oblatum.

Quæ præcepta eo spectant, ut apostoli 1° abjecta omni spe terrena, gloriæ Dei servirent; 2° ut liberi ab omni humano respectu, ex sola Dei providentia penderent; 3° ut nullis onusti sarcinis, nullis curis distracti,

(1) *Luc.*, 14. — (2) *Matth.*, 10. — (3) *Ibid.*

aptiores essent ad susceptam legationem, eique soli vacarent; 4° ut, alieni ab omni cupiditate, plures Christo lucrifacerent; 5° ut ad terrenorum contemptum pro Dei amicitia suo exemplo alios inducerent.

Si hæc motiva singula urgent, quanto magis omnia?

Ista omnia Christi præcepta Societas, saltem Professi, amplexa est, et profitetur, speciali voto cavens *ne quid circa paupertatem immutetur, nisi ad restringendam.*

Quid tu hactenus? et deinceps?

Punctum II. — Exemplum Christi.

1° Prius ille quidem, in vita privata, forte domum, certe instrumenta suæ artis, exiguamque supellectilem habens, labore diurno tenuiter victitabat.

2° Ubi evangelizare pauperibus cœpit, pauperrimus ipse factus est, ut dicere posset: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (1). Ac primum emendicato pane victitabat: postea, collecto apostolorum collegio, pecuniis piorum aliisque sponte oblatis, sed ita tenuibus, ut illis sæpe necessaria deessent, ut cum Sabbato spicas vellere cogerentur, et in deserto vix quatuor panes hordeaceos haberent. Neque unquam inopiæ propriæ miraculo supplevit. Si spiritum Christi habes, eumque cordate sequeris, sequere in hac parte.

Punctum III. — Praxis apostolorum, apostolicorum virorum et sanctorum nostrorum.

1° Apostoli omnes omnia hæc præcepta et exempla Christi accurate secuti sunt. Sic instar omnium Paulus. *Habentes*, inquit, *alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (2); *tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (3). *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam* (4). Quin et ipse Paulus ex eleemosynis fidelium vivere valens, ne eos gra-

(1) *Matth.*, 8. — (2) *Timoth.*, 6. — (3) *II Cor.*, 6. — (4) *Philipp.*, 3.

varet, nocturno manuum labore se suosque sustentabat. Hac via facile mundum converterunt universum, eorum vitæ admiratione captum.

2° Viri apostolici omnes omnium seculorum nudi pariter Christum nudum constanter secuti sunt.

3° Hanc paupertatem Patres nostri omnes initio tam cupide amplexi sunt, tam studiose coluerunt, ut patet ex eorum vitis. Huic innixam Societatem fundarunt, quæ hoc eodem spiritu conservabitur et perficietur, eoque deficiente corruet.

Eumdem et tu spiritum in colloquio complectere et instanter pete.

II. MEDITATIO.

DE MORTIFICATIONE APOSTOLICA, SEU VITÆ AUSTERITATE.

Præludium I. — Christus, pagos et oppida pedes peragrans, jejunans et *fatigatus, ad fontem sedet.* (1)

Præludium II. — Pete nosse et haurire ab ipso spiritum austeritatis Apostolicæ.

PUNCTUM I. — Christus austeritatem vitæ apostolis multipliciter commendavit.

I. Verbo. 1° *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie* (2). *Qui non odit animam suam, non potest meus esse Discipulus.* (3) 2° Hortatur ad arma spiritualia, vigilias, orationes, jejunia contra diabolum suscipienda. 3° Jubet ire prope nudos, et tenui victu sibi oblato contentos esse.

II. Facto. Nam in apostolos elegit homines, non delicatos, non otio et commodis deditos; sed laboribus assuetos, fame, siti, frigore, dura carnis tractatione exercitos, vel certo, ut tales essent, dure, parce, tenuiter vivendo, et laboribus exercendos.

III. Ratione. Nam munus apostolicum comparat artibus maxime laboriosis, piscatorum, pastorum, agri-

(1) *Joann.*, 4. — (2) *Luc.*, 9. — (3) *Ibid.*, 14.

colarum, vinitorum. Et vero vix alia vitæ ratio est, quæ majores requirat labores, minus patiatur carnis delicias. Austeritatem ergo requirit ratione officii, ratione ædificationis proximi, et ratione finis intenti, nempe conversionis animarum.

Punctum II. — Exemplo suo eos ad illam allexit et attraxit.

1° Tota vita, maxime publica, pauper fuit, in laboribus continuis, tenui et facile parabili cibo, procul a deliciis vixit.

2 Galilæam ac Judæam pedes peragrans, tota die docebat, noctes insomnes in oratione ducebat, sæpe plures dies sine cibo perstans.

3° Unum factum expende. *Jesus, fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem hora quasi sexta* (1), id est meridiana, adhuc jejunus, Samaritanæ mulierculæ convertendæ totus incumbit (2); neglecto cibo a Discipulis oblato, *meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et ut perficiam opus ejus.* (3)

Hinc disce oblata corporis commoda generose respuere; imo necessarium cibum, quasi invitus, animo aliunde satiato, sumere.

Punctum III. — Hic fuit spiritus apostolorum, apostolicorum virorum, et maxime nostrorum.

1° Paulus de se, suisque Coapostolis ait : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus....(4) et laboramus, operantes manibus nostris.* Et alibi : *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in vigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate.....* Item : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne postea-quam aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (5). Hæc omnia vitæ apostolicæ deliciæ sunt, quibus ejus func-

(1) *Joann.*, 4. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.* — (4) *I Cor.*, 4. — (5) *Ibid.*, 9.

tiones erga proximum condiuntur, et spiritu Dei animatæ efficaciores redduntur ad Dei gloriam, et animarum fructum.

2° Recole viros apostolicos priorum seculorum, Martinum, Patritium, Norbertum, Bernardum, Dominicum, Franciscum, Antonium, Vincentium, etc., quam dure, quam austere vixerint! quanto suo et aliorum fructu!

3° Quid sanctos Ignatium, Xaverium, Borgiam, Regis? Hæc vitæ austeritas spiritus primævæ Societatis est, cujus vitæ ratio, etsi communis, debet esse ut pauperibus accommodata, et pœnitentias easque convenientes admittere. Hanc exigit tertius humilitatis modus § II, in Summar. Constit. præscriptus. Quod si quando, majore Dei gloria, et animarum auxilio id exigente, aliqua commoda admittuntur, apostolicum est, *scire abundare et penuriam pati.* (1)

Pete pro te et aliis hunc spiritum, per triplex colloquium de vexillis.

III. MEDITATIO.

DE HUMILITATE APOSTOLICA.

Præludium I. — Christus Discipulorum pedes lavans. (2)
Præludium II. — Pete insignem ejus humilitatem imitari.

PUNCTUM I. — Humilitas ad salutis et perfectionis fundamentum pertinet. Sed quæ ad vitam privatam satis est, non sufficit ad vitam apostolicam, ob finis et functionum ejus excellentiam. In hac tres gradus distingui possunt, quorum tertius humilitatem apostolicam proprie constituit. 1° Dicit, nihil sum, et minus nihilo, cum sim peccator; et hoc coram Deo agnosco et confiteor. 2° Id ipsum etiam coram hominibus libens con-

(1) *Philipp.*, 4. — (2) *Joann.*, 13.

fiteor ; et ita ab illis haberi feram, non solum patienter, sed etiam gaudenter ; quoniam nihil magnum, nihil singulare apparet in me, unde aliter de me sentiant. 3° Videor aliquid esse, et magnus sum in ore hominum, ingenio, doctrina, sanctitate, rebus gestis : et tamen intime agnosco, et sincere confiteor, me nihil esse, nec posse, nec mereri ; optoque omnes alios idem de me sentire, totamque gloriam soli Deo tribuere. *Magna, sed rara virtus humilitas honorata.* (1)

Hac dispositione animi nihil verius, nihil justius, nihil salubrius.

1° Nihil verius. *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (2) dæmon superbiens *in veritate non stetit* (3) ; quam impugnant, quicumque illum imitantur.

2° Nihil justius. Justum est, et justissimum Deo sua dona accepta referre, injustum eadem sibi tribuere et appropriare.

3° Nihil salubrius. Hoc multis periculis eximit, multis bonis præparat, et ad magna quæque gerenda disponit. Hic enim solus est fidelis Dei minister, qui gloriam ejus non usurpat.

Punctum II. — Quomodo Christus eam docuerit? 1° Facto. Elegit apostolos pauperes, abjectos, mundo despectos, ne superbirent ; aut, si qua in re excellerent, magnos peccatores, ut Matthæum publicanum, et Paulum Ecclesiæ persecutorem.

2° Verbo. Sæpius hanc humilitatem inculcavit. Contendentibus Discipulis dixit : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (4). *Quicumque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Cum feceritis om-*

(1) *S. Bern.* — (2) *I Cor.*, 4. — (3) *Joann.*, 8. — (4) *Matth.*, 18.

nia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus (1). *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et non ut uva.* (2)

3° Nemo unquam Christo humilior fuit. Quanto major erat, tanto amplius se deprimebat et despiciebat. Sollicite occultabat potentiam, sapientiam, sanctitatem: omnia Patri accepta referebat; et ad unam ipsius gloriam, doctrinam, miracula, fructus prædicationis referebat.

Punctum III. — Praxis apostolorum, apostolicorum virorum et nostrorum.

1° Petrus et Joannes: *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham... glorificavit Filium suum Jesum....* (3)

2° Barnabas et Paulus, *conscissis tunicis, clamabant Lycaonensibus*, volentibus ipsis immolare: *Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis* (4). Ipse Paulus sæpe peccata sua commemorat, et Dei misericordiæ omnino tribuit. *Puto quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus* (5). Item: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (6). *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* (7)

3° Sancti omnes, apostolico spiritu pleni, omnes quoque humilitate insignes fuerunt.

Quid primi Patres nostri? Ignatius unam Dei majorem gloriam in corde et in ore habens; Xaverius se ne

(1) *Luc.*, 17. — (2) *Joann.*, 15. — (3) *Act.*, 3. — (4) *Ibid.*, 14. — (5) *I Cor.*, 4. — (6) *Ibid.*, 3. — (7) *Galat.*, 6.

quidem servum inutilem reputans Borgia ; se peccatorem maximum et discens, et reputans.

Colloquia tria dic, etc.

IV. MEDITATIO.

DE APOSTOLICO MUNDI CONTEMPTU.

Præludium I. — Christus ad regnum postulatus, fugiens in montem. (1)

Præludium II. — Pete verum et perfectum mundi contemptum.

PUNCTUM I. — Contemptum mundi activum Christus apostolis multipliciter commendavit.

1° Verbo. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (2). Ambitiosos repellens : *Nescitis*, inquit, *quid petatis. Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos.* (3) Reprimit sibi complacentes : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* (4)

2° Exemplo. Mundi vanitatem, honorem, favorem constanter fugiens, etiam in vita publica, sapientiam et potentiam suam studiose abscondit, et sanctitatem vitæ communis velo texit, ut præ Joanne Baptista a mundo contemneretur : doctrinam nunquam ostentavit, raro cum doctis, aut Jerosolymis fuit, cum Principibus nunquam. Miracula pleraque celari præcepit, oblatos honores respuit, contemptus et opprobria excepit et ambivit ; sic ut nihil a mundo expeteret, vel acciperet præter unam Dei gloriam, nihil aliud apostolicis viris expectandum doceret.

Apostoli, sic ab ipso instituti, mundi gloriam contemnentes, soli gloriæ Dei servierunt. *Non prædicabant semetipsos, sed Jesum et hunc crucifixum* (5); in cujus cruce sola gloriabantur, *non quærentes hominibus pla-*

(1) *Joann.*, 6. — (2) *Matth.*, 6.—(3) *Ibid.*, 20.—(4) *Luc.*, 10 — (5) *II Cor.*, 4.

cere, sed Deo (1). Sanctitatem et bona opera tegebant, peccata sua fatebantur. Honores sic fugiebant, ut contumelias appeterent. Idem considera in viris apostolicis et nostris.

PUNCTUM II.—Contemptum mundi passivum Christus apostolos etiam docuit.

1° Verbo diserte prædicans illis et beatificans contumelias et persecutiones futuras. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me; gaudete.* (2)

2° Exemplo proprio confirmavit, a mundo contemptus in propria persona, ut fabri filius et insanus; in doctrina ut blasphemus; in miraculis ut magus et Beelsebub minister; in moribus ut vorax et potator vini, ac violator Sabbati; denique accusatus ut malefactor, et publica sententia duos inter latrones crucifixus, et sic saturatus opprobriis, quæ proinde appetebat.

Apostoli ita docti nos pariter docuerunt verbo et exemplo : *Facti tanquam purgamenta hujus mundi et omnium peripsema* (3). Et *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (4). Idem fecerunt viri omnes apostolici, et primi Patres nostri.

PUNCTUM III. — Mundi contemptus ad fructum animarum necessarius.

1° Laudabilis quidem mundi contemptus in iis qui mundum fugiunt, et in solitudinem se abdunt; sed laudabilior multo in iis qui in ipso mundo degentes, eique utiles et admirabiles, ejus plausu et favore non tanguntur, sed omnia quæ ejus sunt fastidiunt, neque mundi vel favore vel timore a gloriæ Dei procuratione impediuntur.

(1) *Galat.*, 1. — (2) *Matth.*, 5. — (3) *I Cor.*, 4. — (4) *Act.*, 5.

2° Contemptus opum, honorum omnium, quæ mundus amat, in Christo et apostolis mundum ipsum convertit. Idem in viris apostolicis principum seculi admirationem meruit, et in primis patribus nostris auctoritatem peperit, qua Societas nostra postea gavisa est.

3° Ut mundanos Christo lucreris, necesse est, ut et te et ea quæ prædicas magnifaciant. Quorum neutrum consequeris sine sincero et manifesto mundi contemptu. Mundani enim magnifaciunt contemptores eorum quæ ipsi æstimant, et credunt tandem ea vere esse contemnenda, quæ vident ab ipsis constanter contemni. *Gloria virtutem velut umbra corpus sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores.* S. Hieron.

COLLOQUIUM pro affectu.

Legi possunt ex Evang. sancti Joannis cap. 13 et 14, ex sermone post Cœnam.

Ex Imitatione Christi, lib. I, cap. 1, de contemptu omnium vanitatum mundi; cap. 2, de humili sentire sui ipsius; lib. II, cap. 9, de carentia omnis solatii; et lib. III, cap. 7, de occultanda gratia sub humilitatis custodia.

XIX. CONSIDERATIO.

DE VISITATIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

1. — Dicebat olim Moyses in gloriam gentis suæ: *Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* (1). Quid, quæso, dicturus esset, si pro umbra, quam ita venerabatur, rem et veritatem ipsam in Ecclesia christiana videret inter fideles assidue commorantem? sed quid dicere, quid cogitare debent personæ religiosæ, præ cæteris fidelibus Christum Dominum Deum verum in habitaculis suis die et nocte, vere, realiter, substantialiter præsentem habentes in sanctissimo Sacramento? Certe non est alia natio, neque conditio tam grandis, tam honorata, tam beata, quæ habeat talem ac tantum Deum, sibi ita propinquum, sibi incessanter cohabitan-

(1) *Deuteron.*, 4.

tem, sibi semper vacantem, et, si dicere licet, quasi sibi solis jugiter servientem.

II. — Sed quid a personis religiosis assiduitas illa postulat? nonne postularet ut ipsæ vicissim Christo soli vacarent, et jugiter assisterent, nec ab eo ad instans recederent? Quod quia fieri non potest in hac vita, multis aliis, etiam ad ejus obsequium singulos alio avocantibus; postulat certe ut tanquam aulici regi suo frequenter se sistant, et tanquam famuli domino suo ad nutum adsint, et in omnibus serviant, ut tanquam piissimi filii ad amantissimum patrem sæpius recurrant, ab ore ejus in omnibus pendeant, denique ut illi omne genus obsequii certatim exhibeant, ita ut in his omnis cessatio, neglectus et inertia damnabilis sit.

III. — Hinc in Societate vetus et laudabilis consuetudo est a primis Patribus accepta, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sæpius in die reverenter adeundi, ad quam ipsi statim instituuntur Novitii; primum mane, statim ac surrexerunt; deinde ad Missæ sacrificium; tum post corporale exercitium, seu matutinum, seu vespertinum; post instructionem, post utramque recreationem Christo se sistunt. Præterea quoties domo egrediuntur, aut domum redeunt, imo ubi quis primum advenit, et ad probationem suscipitur, statim ad templum, supremum domus Dominum salutaturus adducitur.

IV. — Idem fere servatur in Collegiis, cum a Scholasticis studentibus, tum a Magistris docentibus, quibus scholæ loco exercitii corporalis succedunt, adeoque venerabile Sacramentum aditur ante vel post scholas, vel utrasque. Imo et usurpatur ab aliis Patribus domi, forisque laborantibus, et in communi ab omnibus meridie et sero, quantum locorum dispositio patitur.

V. — Præter Missæ sacrificium ab omnibus quotidie celebrandum vel audiendum: retinendus videtur septenarius visitationum Sanctissimi sacramenti numerus, a Regio Psalte typice observatus: *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi;* (1) ab Ecclesia pro Horis canonicis assumptus, ab Evangelio ipso commendatus in septenario Christi ascensu in Jerusalem: unde diversæ pro singulis visitationibus intentiones, diversique affectus assumi possunt, et quilibet pro illis horas sibi convenientes eligere et statuere.

VI. — Harum seriem et ordinem subjicio, quem quisque sequi aut emendare poterit.

1° Summo mane imitare Christum infantem quadragesimo a Nativitate die *sistentem se Domino* (2); adora illum ut Regem tuum; offer illi te ipsum et omnia tua; pete benedictionem et gratiam ad diem recte transigendum: *Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.* (3)

2° Sequenti visitatione imitare Christum, *cum esset annorum duodecim, ascendentem in templum* (4), et ibi inter Doctores

(1) *Ps.* 118. — (2) *Luc.*, 2. — (3) *Hymn. S. Ambros.* — (4) *Luc.*, 2.

inventum. Adi illum ut Doctorem tuum ; expete profectum in studiis, et maxime scientiam sanctorum.

3° Sequere illum, post trigesimum annum, *negotiatores e templo ejicientem* (1). Illum ut Judicem tuum intuere, et pete zelum Dei ad tuam et aliorum emendationem per examen particulare.

4° Audi Jesum dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis... et ego reficiam vos* (2). Adi illum ut Medicum, et inter infirmos ad probaticam piscinam die illi cum paralytico : *Domine, hominem non habeo.* (3)

5° Adi illum prædicantem in deserto, et *pascentem turbam ex quinque panibus* (4). Adi ut pastorem, et pete ut esurientem pascat te *pane vitæ et intellectus.* (5)

6° Ascende cum illo ad lectum Scenopegiæ. Adi illum ut *fontem vitæ* (6), et pete ut sitientem justitiam satiet *aqua sapientiæ salutaris salientis in vitam æternam.* (7)

7° Occure illi et comitare ingredientem Jerusalem in die Palmarum (8), et ibi *consummantem omnia quæ de ipso scripta erant* (9), per mortem, ad gloriam Patris et redemptionem nostram ; et pete ab ipso, consummatis omnibus quæ a te postulat, felicem obitum.

VII. — Singulis visitationibus.

1° Præmitte brevem animi collectionem et conscientiæ discussionem ; excita specialem intentionem, et dic : *Concupiscit anima mea in atria Domini* (10) ; vel : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* (11)

2° In singulis exerce fidem, spem, charitatem, communionem spiritualem, votorum renovationem, propositi confirmationem.

3° Recede cum desiderio, dicens : *Mane nobiscum, Domine;* (12) adjunge te perpetuis adoratoribus. Gustum et sensum retine, et pro oratione jaculatoria die frequenter : *O salutaris Hostia, quæ cæli pandis ostium ! bella premunt,* etc. (13)

VIII. — Saltem semel in die, maxime vesperi, adora in Sacramento Crucifixum, septem Sacramentorum vasa suo sanguine replentem, et resuscita in te gratiam per singula recepta : gratiam baptismi, denuo renuntians Satanæ, et arctius Christo te conjungens ; Spiritus Sancti confirmationem, accingendo te ad pugnam. Exerce confessionem et communionem spiritualem. Resuscita gratiam pluries acceptam per impositionem manus episcopi ; renovatione votorum, conjugium cum Christo initum ratifica ; demum ex singulis sensuum Christi organis guttam sanguinis pete ; per ejus unctionem indulgeat tibi Deus quidquid per talem sensum deliquisti.

(1) *Joann.*, 2. — (2) *Matth.*, 11. — (3) *Joann.*, 5. — (4) *Ibid.*, 6. — (5) *Eccli.*, 15. — (6) *Joann.*, 7. — (7) *Ibid.*, 4. — (8) *Ibid.*, 12. — (9) *Luc.*, 18. — (10) *Ps.* 83. — (11) *Ibid.*, 5. — (12) *Luc.*, 24. — (13) *Hymn. Eccles.*, 15.

IX. — Si quando per infirmitatem aut aliud impedimentum nequeas adire templum horis consuetis, converte te ad illud, et Christum illic præsentem adora. Quin etiam foris et in itinere, ad obvias ecclesias conversus, idem præsta quod in templo ipso præstares, si liceret. Et sic non impedieris adorare semper.

DIES VIGESIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ DECIMUS.

VIRTUTES APOSTOLICÆ AD PROXIMUM.

Venite ad me, omnes qui laboratis... et ego reficiam vos. *(Matth.*, 11.)

I. MEDITATIO.

DE ZELO ANIMARUM.

Præludium I. — Christus dicens: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* (1)
Præludium II. — Pete hunc ignem accendi in corde tuo.

PUNCTUM I. — Hujus Zeli natura et qualitas.

1° Est veluti flamma charitatis erga proximum; est enim vehemens et ardens desiderium, et quasi fames et sitis quædam salutis animarum et sanctificationis illarum.

2° Omnino necessarius est viro apostolico, qui etsi pertineat ad ipsam finis intentionem, tamen inter ipsa media primum locum obtinet. Est enim magni amoris Dei et effectus et signum, et simul principium efficax ad alios eodem quo flagras igne accendendos, indesinenter excitans ad agendum et patiendum propter Deum et proximum; et ad excogitandas novas industrias ad animarum lucra, sine quo omnes functiones sunt inefficaces, languidæ et velut mortuæ, ut pote anima destitutæ.

(1) *Luc.*, 2.

An hunc zelum in te sentis?

3° Motiva illius sunt pretium animæ a Deo ad sui imaginem et gloriam conditæ, Christi sanguine redemptæ; erga utrumque gratitudo, dæmonis in Deum et hominem odium; pereuntium commiseratio. Quem ista saltem omnia non moveant?

4° Qualitates. Zelus debet esse, 1° purus et sincerus, nullo alio affectu permixtus; 2° universalis, ad omnes et ad omnia se extendens, et simul ad singula indifferens; 3° ardens et efficax, sed simul discretus, et per obedientiam atque prudentiam temperatus et directus. Juxta Constitut., p. 7, cap. 2, declarat. Talis in Christo fuit, fac talis in te sit.

Punctum II. — Christus hunc zelum

1° Apostolis inspiravit vocando; fecit enim piscatores hominum, spirituales negotiatores, cultores vineæ suæ. Item illis insufflando Spiritum Sanctum.

2° Verbo illos docuit. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (1)? *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam* (2). *Videte regiones quia jam albæ sunt ad messem* (3). *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos ut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti* (4). *Congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat* (5). *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur.* (6)

3° Facto et exemplo accendit. Cum negotiatores e templo semel iterumque ejecit, apostolis recordatis: *Zelus domus tuæ comedit me* (7). Cum die nocteque per triennium non cessavit quærere oves quæ perierant domus Israel; cum omnes præsertim peccatores etiam publicanos vocavit, recepit, manducavit cum illis ad

(1) *Luc.*, 12. — (2) *Ibid.*, 10. — (3) *Joann.*, 4. — (4) *Matth.*, 23. — (5) *Luc.*, 15. — (6) *Ibid.*, 12. — (7) *Joann.*, 2.

invidiam Pharisæorum. Recole Samaritanam, Magdalenam, Adulteram, Matthæum, Zachæum, Nicodemum. Hoc opus suum, hunc cibum suum, has delicias vocabat et ostendebat. An hoc et tu vere dicere potes?

Punctum III. — Hunc zelum animarum ad gloriam Dei Christi verbis sibi inspiratum semper et ubique præ se tulerunt apostoli. Hoc igne functiones suas omnes accenderunt. In quibus Paulus: *Charitas*, inquit, *Christi urget nos* (1). *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (2). *Veritatem dico in Christo, non mentior* (3). *Optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Væ mihi, si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit!* (4)

Eodem pleni fuerunt omnes omnium seculorum viri apostolici, gloriam Dei et salutem animarum unice spirantes. Recole præsertim zelum Ignatii, Xaverii, Borgiæ, etc.

Colloquium. — Pete scintillam hujus ignis quem venit Dominus mittere in terram, et vult vehementer accendi.

II. MEDITATIO.

DE MANSUETUDINE.

Præludium I. — Audi Christum dicentem: *Discite a me quia mitis sum.* (5)

Præludium II. — Pete hoc discere et sequi.

Punctum I. — Ejus notio, vis et necessitas.

1° Mansuetudo seu mititas virtus est quæ impotentes animi motus moderatur, et foras erumpere non sinit.

2° Indignationem regit, zelum temperat, iram comprimit, cohibet manum, linguam et animum. Facitque ut caute procedatur absque conturbatione externa et interna.

(1) *II Cor.*, 5. — (2) *Galat.*, 4. — (3) *Roman*, 9. — (4) *I Cor.*, 9. — (5) *Matth.*, 11.

3° Alloquio et moribus suavem, non gravem aut molestum reddit.

4° Adeo non ulciscitur, ut nec se defendat cum potest, et *percutienti alteram maxillam præbeat.* (1)

5° Hæc viro apostolico omnino necessaria est ad gloriam Dei, ad ædificationem proximi, ad propriam tranquillitatem aut pacem. Valet autem maxime ad omnes alliciendos, juxta illud: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* (2)

Punctum II. — Documenta Christi de Mansuetudine. *Beati mites* (3). *Discite a me quia mitis sum, et invenietis requiem animabus vestris* (4). *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo raca, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis* (5). *Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Petenti a te da ei, et volenti mutuari a te ne avertaris. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum.*

Punctum III. — Ejusdem exempla. De Christo prædixerat Isaias: *Arundinem quassatam non conteret; et linum fumigans non extinguet* (6). Prophetiam superavit eventus: nam, ut taceam vitam privatam, in qua fuit hominum mitissimus, in publica ubique *transiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo* (7). Quomodo egit 1° cum Discipulis rudibus, rusticis, molestis? qua mansuetudine mores eorum tulit? 2° cum peccatoribus ad se venientibus? nullum repulit, omnes in

(1) *Luc.*, 6. — (2) *Matth.*, 5. — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.*, 11. — (5) *Ibid.*, 5. — (6) *Is.*, 42. — (7) *Act.*, 10.

pace remisit; 3° cum omnibus, maxime cum pauperibus et afflictis ejus opem implorantibus opportune, importune? an objurgavit? an aspere et cum superbia recepit? omnes, benigne acceptos, voti compotes dimisit; 4° cum inimicis ipsum persequentibus aut cædentibus? *Cum malediceretur non maledicebat: cum paterctur, non comminabatur* (1). Nunquam iram aut indignationem ostendit, nisi adversus Pharisæos hypocritas. Et si quando ex zelo commotionem ostendit, statim ad ingenium nativamque mansuetudinem rediit; ut cum, ejectis e templo vendentibus et ementibus, *accesserunt ad eum cæci et claudi, et sanavit eos.* (2)

Punctum IV. — Exempla apostolorum. Unus Paulus pro omnibus testatur: *Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, usque adhuc.* (3)

Recole etiam factum sancti Joannis apostoli adversus discipulum quondam suum, jam latrociniis deditum, quanta suavitate reduxit ad bonam frugem. Adde mira in hoc genere sanctorum nostrorum exempla.

Colloquia. — Pete instanter hunc spiritum Christi ut initio.

III. MEDITATIO.

DE PATIENTIA APOSTOLICA.

Præludium I. — Christus a turbis compressus, et a petentibus obsessus. (4)

Præludium II. — Pete imitari patientiam ejus.

Punctum I. — *Charitas patiens est* (5), sicut benigna est. Est autem patientia virtus qua mala æquo animo toleramus, et conservamus bonum rationis contra tristitiam ex malo præsenti. Hujus præcepta complura

(1) *I Petr.*, 2. — (2) *Matth.*, 21. — (3) *I Cor.*, 4. — (4) *Marc.*, 5. — (5) *I Cor.*, 13.

Christus dedit apostolis. 1° *Beati qui lugent, et qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* 2° *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me... gaudete* (1)... *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (2). Huc pertinent plura superius allata.

Punctum II.— Exempla Christi. Tota ejus vita exercitium patientiæ fuit nunquam intermissum. Quatuor sunt patientiæ objecta, dolores interni et externi, paupertas seu egestas, et ignominia. His omnibus Christus saturatus fuit usque ab utero, in vita privata, in publica, in passione, in morte. In privata sunt paupertatis incommoda, labor assiduus, humiliatio. In publica constans inopia, labores indefessi, continuæ persecutiones. In passione tormenta et opprobria, usque ad mortem crucis crudelissimam simul et ignominiosissimam. Quid malorum ultra addi potest? et quomodo ista omnia pertulit? patienter sine querela, suaviter sine ira aut commotione, gaudenter cum benedictione; ita ut in cruce primum pro crucifixoribus et insultantibus oraret. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* (3)

Punctum III. — Apostolorum imitatio. Apostolatus illorum fuit etiam perpetuum patientiæ exercitium. *Usque in hanc horam,* inquit Paulus, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris, maledicimur et benedicimus, etc.* (4). Et alibi: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam*

(1) *Matth.*, 5. — (2) *Luc.*, 21. — (3) *I Petr.*, 2. — (4) *I Cor.*, 4.

supra modum gravati sumus, supra virtutem; ita ut tæderet nos etiam vivere (1). Et rursus alibi : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, foris pugnæ, intus timores* (2). Quod de se Paulus dicit, id in omnes convenit. Omnes orbem peragrando, prædicando, persecutiones et martyria sustinendo, heroicam patientiam exercuerunt.

Quid viri apostolici Athanasius, Chrysostomus, Basilius? et quid Patres nostri primi, Ignatius cum Sociis, et posteri eorum ? *Habentes igitur tantam nubem testium per patientiam curramus ad bravium.* (3)

Colloquium. — Offer te ad labores apostolicos, et ad omnia perferenda pro Dei gloria.

Continuabitur Lectio sermonis post Cœnam, Joann., cap. 15 et 16; de Imitatione Christi, lib. I, cap. 16; de sufferentia defectuum alienorum, lib. III, cap. 4, quod in veritate et humilitate coram Deo conversandum est.

XX. CONSIDERATIO.

DE CONVERSATIONE CUM NOSTRIS ET EXTERNIS.

I. — Omnis conversatio est periculosa. Non solum fervorem spiritus extinguit, sed multis etiam lapsibus occasionem præbet. Unde Jacobi dicitur: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* 4. Et vir pius dicebat: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Hinc præstat conversationem fugere quam appetere.

II. — Verum cum finis vocationis nostræ postulet ut cum hominibus conversemur, cavendum est ut domestica conversatio cum nostris sit quoddam tirocinium conversationis cum externis, inter quos versari debemus, *ut sal terræ, ut lux mundi.* (5)

III. — Extra tempora recreationi assignata raro agendum est privatim cum nostris, nec nisi ex necessitate vel charitate, adeoque non de rebus vanis, sed vel ad spiritum, vel ad studia et cujusque officia pertinentibus; idque breviter, serio nec sine facultate.

IV. — Ita cum omnibus, sive domesticis, sive externis age ut nemo se a te contemni putet.

(1) *II Cor.*, 1. — (2) *Ibid.*, 7. — (3) *Hebr.*, 12. — (4) *Jacob.*, 3. — (5) *Matth.*, 5.

V. — Conversatio tua semper sit ex charitate; adeoque ita prosit iis quibuscum agis ut aliis non noceat.

VI. — Omnium quibuscum agis genio et indoli, quantum potes, te accommoda, ut fias *omnia omnibus.* (1)

VII. — Cum agendum est de negotio gravi, aut cum personis dignioribus, dicenda prius meditare, cor ad Deum erige, Angelum tuum et alterius invoca, et optatum successum pete.

VIII. — Cum secularibus age tantum de rebus pis, aut certe honestis et convenientibus, et eo modo quo decet spectatis omnibus.

IX. — Cave ne altiora tractes, ad omnia dubia extemplo respondeas, aut aliis facile contradicas.

X. — Nova et curiosa ne exquiras, nec, si sponte narrentur, ostendas tibi valde placere vel displicere.

XI. — Eos qui te consilii causa adeunt, pro eorum capacitate, quoad potes, plene instrue. Alios, qui nullum fructum specialem quærunt, breviter expedi: et si sæpius importune redeunt, mortis aut judicii sermonibus exterre.

XII. — Si quos officii causa invisis, cura ut id religioso modo fiat, nec in eo plus temporis impendas quam charitas et honestas postulat.

XIII. — Domo egressurus per templum transi, Christum in sacramento adora, pete gratiam ad negotia, et ad servandam innocentiam; signum ponens in Catalogo, gratias age pro vocatione; pete ut *scriptum* maneat *nomen tuum in libro vitæ.* (2)

XIV. — In reditu notam tollens, pete sic deleri peccata tua, præsertim si quæ foris admisisti. Templum festinus adi, Christum ardenter adora, cubiculum ingrediens dic: *Hæc requies mea in seculum seculi.* (3)

XV. — Foris audita ne temere effutias domi, secreta ne evulges, regulam tamen circa Socium serva.

XVI. — In via si per templum transis, sanctissimum Sacramentum, si adsit, adora, dicens: *O salutaris Hostia.* Si coram imagine Crucifixi, dic: *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Si coram imagine Virginis Deiparæ, dic: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.* Si per cœmeterium transis, die saltem: *Requiem æternam dona eis, Domine.* Obviorum Angelos Custodes saluta.

(1) *I Cor.*, 9. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *Ps.* 131.

DIES VIGESIMUS PRIMUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ UNDECIMUS.

VIRTUTES APOSTOLICÆ AD DEUM.

Sine me nihil potestis facere. (*Joann.*, 15.) Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. (*Matth.*, 11.)

I. MEDITATIO.

DE DIFFIDENTIA SUI ET FIDUCIA IN DEO.

Præludium I. — Specta copiosam Petri piscationem.
Præludium II. — Pete similem in piscatione animarum dispositionem.

PUNCTUM I. — Præmissa ad miraculum. 1° *Turba irruente in Jesum, ascendit in naviculam Petri, et sedens docebat de navicula turbas* (1). Ex cathedra Petri doctrina Christi et missio petenda est; in ejus navi sedendum, et inde docendum. 2° *Ut cessavit loqui, dixit Simoni: Duc in altum.* Ut cessasti agere cum proximis, recede a terra, ad orationem recurre, et, si potes, Deo immergere. 3° Et *laxate*, inquit, *retia vestra in capturam.* Tum tuto laxabis retia in capturam, sine periculo pro te, cum fructu pro aliis, cum ab oratione ad piscationem animarum recurres, et vicissim.

PUNCTUM II. — Miraculum. 1° Respondit Petrus: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*: en confessio propriæ imbecillitatis, per noctem peccati, pravæ intentionis, propriæ voluntatis. *In verbo autem tuo laxabo rete:* en fiducia in Deo, in divina voluntate et opitulatione, quæ mira operatur. 2° *Cum hoc fecisset, inclusit multitudinem piscium copiosam*, eodem in loco ubi tota nocte frustra rete jecerat; tam copiosam *ut rete rumperetur*, nec ab eis trahi posset præ pondere.

(1) *Luc.*, 5.

Hoc facit virtus nominis et verbi Christi ; et sic *obediens loquitur victorias* (1). 3° *Annuerunt sociis qui erant in alia navi,* qui venientes eos adjuverunt, *et impleverunt ambas naviculas ut pene mergerentur.* In copiosa animarum piscatione socii sunt advocandi, et ipsi, pro posse, adjuvare debent sine invidia et zelotypia, partiendo laborem, et honorem vicissim communicando.

Punctum III. — Secuta miraculum.

1° *Quod cum videret Simon procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Applica tibi hoc dictum apostoli, omnia bona Christo soli, sibi nihil præter peccatum tribuentis. 2° *Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum ipso erant in captura piscium quam ceperant.* Hic sensus virorum vere apostolicorum : stupent, et mirantur quæ Deus per ipsos facere dignatur. *Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens.* Deus humiles erigit et animat. 3° *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum ;* nihil morantur, post tam copiosam piscationem. Disce e locis ubi prædicatio successit, alio transire Dei nutu, non ibi morari ad plausus colligendos, aut inanem complacentiam, et omnia relinque ad sequendum Christum.

Colloquium. — Pete per apostolos spiritum diffidentiæ tui et fiduciæ in Deo, tam necessarium ad Dei gloriam, proximorum salutem tuique perfectionem.

II. MEDITATIO.

DE STUDIO ORATIONIS.

Præludium I. — Christus solus *in monte pernoctans in oratione Dei.* (2)

Præludium II. — *Domine, doce nos orare.* (3)

Punctum I. — Christus apostolis sæpius commendat orationis studium.

(1) *Prov.*, 21. — (2) *Luc.*, 6. — (3) *Ibid.*, 11.

1° In genere. *Oportet semper orare, et non deficere.* (1)

2° Ad quodcumque impetrandum. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, et accipietis.* (2)

3° Ad fugandos dæmones. *Hoc genus non ejicitur, nisi oratione et jejunio.* (3)

4° Ad omnia mala avertenda, et pericula vitanda. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista.* (4)

5° Ad vincendas tentationes. *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* (5)

6° Ad patranda miracula. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis* (6). Hæc omnia tanquam tibi ipsi dicta sic accipe.

Oratio est medium apostolicum quod omnes functiones nostras præire, comitari et subsequi debet. Est optima præparatio ante actionem, vis et robur in agendo, quies post actionem. Reliquæ virtutes a creaturis separant, hæc Deo conjungit, ut instrumentum causæ principali. Hæc gratias impetrat ad conversionem animarum, et vim divinam in dicendo tribuit.

Punctum II. — Christus exempla orationis apostolis dedit multiplicia.

1° Ut comprehensor Deum perpetuo intuebatur, nec ulla externa occupatio mentem ejus a Deo abstrahebat. Quare verissime dici potest, *sine intermissione orasse* (7), et quidem sublimissimo orationis genere.

2° Certis tamen temporibus specialiter orabat, etiam mentaliter et dependenter a phantasmatibus. Ad quod egebat secessu, et vacatione ab aliis occupationibus : et hæc tum ad exemplum, tum ad impetrandum nobis auxilium. Sicut enim pro nobis pati, ita et orare debuit;

(1) *Luc.*, 18. — (2) *Joann.*, 16. — (3) *Matth.*, 17. — (4) *Luc.*, 21. — (5) *Matth.*, 24. — (6) *Ibid.*, 21. — (7) *Thessalon.*, 5.

præcipue tamen ad exemplum, quod petit imitationem. Certe si Christus pro te orare voluit, quid te facere par est pro te ipso, et pro aliis ad te spectantibus?

3° Multipliciter oravit. Nam 1° aliquando ad tempus diuturnum soli orationi vacavit, ut in utero materno, in infantia, in vita privata, operando manibus suis, et secedens *in deserto per quadraginta dies* (1). 2° Aliquando ad tempus brevius publico abstinens; sic videtur ordinarie *pernoctasse in oratione Dei* (2), et secessisse ante negotia alicujus momenti, ut ante apostolorum electionem, et ante Passionem, et post publicas functiones, et illustria miracula. 3° Denique sæpius breviter inter ipsas functiones, ut in multiplicatione panum, in suscitatione Lazari, in reditu apostolorum ex missione, in accessu gentilium. (3)

Ut igitur Christum imiteris in oratione, 1° *provide Dominum in conspectu tuo semper* (4), et ambula coram Deo jugiter; 2° secede quotannis et sæpius ad plures dies in solitudinem; 3° quotidie stata tempora orationi impende, fideliter, integre, ferventer; 4° in mediis functionibus ad Deum sæpe breviter convertere; 5° momenta libera et vacua orationi tribue, et in Deo suaviter requiesce. Vide quæ ex his facias, in quibus deficias.

Punctum III. — Apostoli et viri apostolici, præsertim societatis, in oratione assidui.

1° Apostoli omnes una cum discipulis decendio orant in cœnaculo, ad Spiritum Sanctum suscipiendum (5); in templum, in superiora domus sæpe ascendunt ad orandum, ægros invisentes orant; Petro captivo, oratio fiebat ab Ecclesia instanter pro eo. Septem diaconis curam temporalium committentes, dicunt : *Nos autem*

(1) *Matth.*, 4. — (2) *Luc.*, 6. — (3) *Joann.*, 12. — (4) *Ps.* 15. — (5) *Act.*, 1.

orationi et ministerio verbi instantes erimus (1). Orandi assiduitatem commendant fidelibus verbo et scripto.

2° Viri apostolici quotquot in Ecclesia claruerunt omnes orationi deditissimi fuerunt.

Quid Ignatius, Xaverius, Borgia, Socii, et Patres nostri omnes? nobis utique et exemplis, et regulis scriptis orandi studium summopere commendarunt, quod professis præcipue injunxit sanctus fundator.

COLLOQUIUM. — Pete per hos et illos a Domino spiritum orationis.

III. MEDITATIO.

DE CONFORMITATE CUM VOLUNTATE DEI.

Præludium I.—Christus dicens: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* (2)

Præludium II. — Pete plenam et perfectam cum voluntate Dei conformitatem.

PUNCTUM I. — Conformitas circa talenta et vitæ genus. Christus Dei sapientia et virtus, cum posset Dei gloriam modis innumeris procurare, sub communi vivendi modo latere voluit, ut se Patris voluntati conformaret. *Non possum*, inquit, *a me ipso facere quidquam*; *sicut audio, judico.* (3)

Ita te ipsum divinæ voluntati conformare debes, quoad dotes, talenta, doctrinam, etc.; et quod accepisti in ejus gloriam fideliter impendere. Si vult te latere et silere, fiat voluntas ejus.

PUNCTUM II. — Conformitas circa functiones. Christus in exercitio prædicationis a voluntate Dei pependit in omnibus. 1° Quoad tempus. Nec momento prævenire, nec ultra tempus præscriptum vel momento producere voluit. *Nondum venit hora mea* (4). *Hæc hora vestra.* (5) 2° Quoad loca. Judææ finibus se continens, raro Je-

(1) *Act.*, 6. — (2) *Joann.*, 5. — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.*, 2. — (5) *Luc.*, 22.

rosolymis, aut in urbibus, fere in oppidis et pagis, locisque remotis et ignotis versatus est. 3° Quoad personas. Nullos principes, nisi in passione, paucos alicujus nominis et notæ viros vidit : inter plebeios et pauperes zelum suum continens ex obedientia. 4° Rursus nec sibi non commissos quæsivit ; nec ad se missos repulit ; neminem ad se venientem rejecit. *Non sum missus*, inquit, *nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (1). Et *omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejicam foras.* Quare? *quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (2). Vade, et tu fac similiter ; omnes qui ad te accedunt, a Deo ad te missos, tibi destinatos reputa, teque illis æqualiter impende, aliis dimissis. Et cum indifferentia ad loca, personas et ministeria, semper præsto sis ad omnia ; et ubi par Dei voluntas, ibi paria sint omnia.

Punctum III. — Conformitas circa successus. 1° Malos æquanimiter ferebat. Quoties frustra in templo, in compitis, in domibus, in campis, in desertis ad multitudinem copiosam prædicavit, et docuit, et quam modicus tantis laboribus fructus respondit? eos tamen labores non minori affectu expetiit. Sic et tu age : ministerium tuum imple; curam exigeris, non curationem. Non frustra laboras, si minus proximo, certe tibi et gloriæ Dei servis. 2° Bonos Patri soli tribuebat, et in ipso solo gaudebat. *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te* (3). Sic et tu in solo Deo gaude et gloriare. Tibi gloria, mihi autem confusio.

Punctum. IV. — Resignatio ad mortem immaturam, in viridi juventute, violentam contra innatas vires et

(1) *Matth.*, 15. — (2) *Joann.*, 6. — (3) *Matth.*, 11.

constitutionem robustam, per cruciatus et tormenta exquisita, cum probro et ignominia, pro ingratis et immeritis, contra inclinationem naturalem, cum posset agendo Dei gloriæ impensius servire. Patet ex oratione in horto : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (1); *non sicut ego volo, sed sicut tu.* (2)

Excita pariter in te resignationem circa mortem tibi superventuram in circumstantiis insperatis, inclinationi et voluntati tuæ contrariis vitam offerendo in sacrificium divinæ voluntati.

COLLOQUIUM. — Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me, omnes meos et omnia mea, sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, semper et ubique, nunc et in æternum. Amen.

Lege Evangel. sancti Joann., cap. 17.

Ex Imitatione Christi, lib. III, cap. 5, de mirabili effectu amoris; cap. 6, de probatione veri amatoris; cap. 7, de occultanda gratia sub humilitatis custodia.

XXI. CONSIDERATIO.

PRAXIS CONFORMITATIS VOLUNTATIS NOSTRÆ CUM DIVINA VOLUNTATE.

Circa hanc tria consideranda sunt: 1° principia quibus tanquam fundamentis nititur; 2° ipsius exercitium, tanquam inde deducta conclusio; 3° media, seu auxilia, ad perfectionem eam perducentia.

I. — Principia seu fundamenta, quibus hæc conformitas nititur, sunt partim in intellectu, partim in voluntate.

1° In intellectu.

Primo. Supponenda vulgaris divisio voluntatis divinæ, quamvis unicæ et simplicis, in voluntatem beneplaciti et voluntatem signi. Ad quinque vulgata signa, quæ sunt præceptio, prohibitio, consilium, permissio et operatio, addendum est sextum, nempe dissuasio, quæ consilio adversatur, et adæquatam divisionem facit, et ter geminam speciem voluntatis divinæ constituit; nempe affirmantem, negantem et mediam.

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Luc.*, 22.

Secundo. In eodem intellectu est certa notitia infinitæ sapientiæ, bonitatis et potentiæ Dei, quem habemus ex fide, et ratione naturali. Cui addenda quæ Christus Dominus sanctam Catharinam Senensem docuit; nempe: 1° *Nihil omnino fieri nisi per voluntatem Dei.* 2° *Deum facere semper quod est optimum, juxta leges sapientiæ suæ.* 3° *Facere etiam quod nobis maxime utile est, juxta bonitatem suam et amorem in nos.* Hæc sæpe et serio meditanda et semper in promptu habenda, ut ea sponte memoriæ occurrant, et intellectum plene persuadeant.

2° In voluntate sunt motiva quibus ad hoc exercitium afficimur et adducimur, ut sunt ejus excellentia, gloria Deo inde proveniens, gratiæ nobis inde profluentes, pax et tranquillitas animi perfectissima et sanctitas; sed præcipue exemplum Christi et sanctorum. Nobis sæpe proponenda, ponderanda, penetranda, ut vim suam exerant.

I. — Exercitium ipsum hujus conformitatis generice sumptæ in duobus consistit, quæ sunt: voluntatem divinam sequi in iis quæ prescribit, et illi acquiescere in iis quæ disponit. Illa dicitur conformitas activa, hæc passiva; qua utraque inducimur ad volendum quidquid Deus vult, quomodo vult, et maxime quia vult.

Conformitas activa in iis rebus est quæ pendent a nobis, nostræque libertati et dispositioni subsunt, et exercetur per obedientiam generalem voluntati divinæ, tam affirmanti quam neganti. 1° Quoad voluntatem affirmativam, semper volendum est et agendum quidquid Deus vult, sive præcipiendo, sive consulendo: idque volendum est ut Deus vult, quomodo vult, quantum vult, et maxime quia vult: unice ex motivo sui beneplaciti. 2° Quoad negativam autem, nusquam velle aut facere quidquam eorum quæ Deus non vult, sive prohibendo, sive dissuadendo, adeoque nunquam peccatum veniale deliberatum, nunquam Regulæ ullius infractionem, nunquam imperfectionem voluntariam, aut resistentiam gratiæ.

Jam vero conformitas passiva quæ spectat voluntatem Dei permittentis aut operantis, locum habet in iis quæ a voluntate nostra non pendent, et exercetur generatim per resignationem, et specialim per acceptationem et submissionem. 1° Resignatio spectat proprie res futuras, aut incertas, aut saltem ignotas, facilque ut nos Deo et Superioribus ejus locum tenentibus totos permittamus universaliter, plene, prompte, constanter, penitus excludendo omnem actionem, desiderium et cogitationem contrariam Dei voluntati. 2° Acceptatio seu submissio spectat præsentia aut præterita, determinata et nota, in quibus tali Dei voluntati acquiescimus omnino, idque prompte, plene, constanter, ea accipiendo et tolerando patienter, æquanimiter, gaudenter: idque ostendendo, vel silendo, vel expressa approbatione, vel etiam laude et gratiarum actione, exemplo sancti viri Job, utraque conformitas passiva dat gloriam Divino beneplacito quod habet pro unico motivo.

II. — Media ad hanc conformitatem assequendam et perfi-

ciendam, sunt: 1° Oratio, qua frequenter et ferventer a Deo petatur. 2° Meditatio frequens motivorum seu fundamentorum, qua nobis familiaria reddantur. 3° Frequentes reflexiones circa paternam Dei erga nos providentiam. 4° Exercitium interius et exterius singulorum actuum allatorum, scilicet obedientiæ accuratæ in rebus notis, in ignotis autem affectivæ et præsumptæ. Resignationis per actus generales in oratione et extra; item per actus ad singula applicatos; denique singula maxime adversa et aspera accipiendo quasi de manu Domini, exemplo Job et Tobiæ.

DIES VIGESIMUS SECUNDUS,

SECUNDÆ HEBDOMADÆ DUODECIMUS.

SUCCESSUS CHRISTI.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. (*Matth.*, 17.)

I. MEDITATIO.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

Præludium I. — Historia Evangelica.
Præludium II. — Repræsentatio Transfigurati.
Præludium III. — Petitio gratiæ congruæ.

PUNCTUM I. — Præmissa Transfigurationi. 1° Causæ cur transfigurari voluerit, sunt gloria Patris, auctoritas missionis et prædicationis, animatio discipulorum ad agendum et patiendum intuitu mercedis, instructio nostra in excipiendis Dei favoribus insolitis. 2° Circumstantiæ. Tempus, in medio prædicationis cursu; sex dies post crucem commendatam. Locus, mons excelsus, seorsim. Comites, tres duntaxat discipuli fidissimi et ferventissimi, tres virtutes theologicas adumbrantes. 3° Medium, oratio fervens, non qualis discipulorum dormientium.

Vis divinos favores experiri; hæc media cum humilitate et constantia sectare.

PUNCTUM II. — Modus Transfigurationis.

1° *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (1). Per faciem anima, per vestimenta opera significantur. Oratio animam mundat, illuminat, accendit; opera vero purificat, perficit, sanctificat. Si ei strenue insistas, per eam *mutaberis in virum alium.* (2)

2° Colloquium Christi *medii cum Moyse et Elia, de excessu ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* (3) Ostendit illum in ipsa gloria recolere ignominias passionis suæ, et crucem semper in corde ferre. *(Tertius humilitatis modus.)*

3° *Nubes obumbrans, et vox Patris insonans : Hic est Filius meus dilectus.... ipsum audite,* de cruce etiam inter gaudia disserentem, juxta tertium humilitatis modum. Est illustris et authentica confirmatio missionis et omnis doctrinæ ejus tanquam a Deo revelatæ, et in lege et prophetis promissæ.

Cum Moyse et Elia adora Jesum tanquam Messiam et Salvatorem ab eis prædictum et exspectatum. Adora pariter sanctissimam Trinitatem hic relucentem : Patrem quidem in voce, Filium solum Jesum voce signatum, et Spiritum Sanctum in nube obumbrantem, et tegentem mysterium.

4° Votum Petri : *Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula* (4), quamvis intempestivum, ostendit quomodo sancti *inebriabuntur ab ubertate domus Dei* (5), quando una gutta Petrum ita abalienavit ut nesciret quid diceret.

Punctum III. — Consecuta Transfigurationem.

1° *Discipuli conterriti prosternuntur.* Caro et natura crucem horret et refugit; sed a *Christo tacti,* statim *eriguntur.* Gratia sublevat.

(1) *Matth.*, 17. — (2) *I. Reg.*, 10. — (3) *Luc.*, 9. — (4) *Matth.*, 17. — (5) *Ps.* 35.

2° *Levantes oculos neminem viderunt, nisi solum Jesum*, ut cognoscerent hunc solum voce designari. Omnia evanuerunt præter ipsum. Sic consolationes divinæ in hac vita cito fugiunt : sed semper *aspice in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* (1)

3° *Descendentibus præcepit Jesu ne cui dicerent visionem hanc ante resurrectionem suam* (2). Ut discerent silentium esse servandum circa insolitos Dei favores, et occultandam esse gratiam sub humilitatis custodia.

Hæc omnia applica ad gratias extraordinarias, quas cura ut merearis, eisque, si Deus dederit, bene utaris.

COLLOQUIUM ad Christum transfiguratum ut regem tuum.

II. MEDITATIO.

DE RESUSCITATIONE LAZARI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Compositio loci ad tumulum Lazari. (3)
Præludium III. — Petitio gratiæ.

PUNCTUM I. — Prævia ad miraculum.

1° Sorores Lazari mittunt ad Jesum, dicentes : *Ecce quem amas infirmatur.* Ille moratur, et sinit eum mori pro gloria Dei.

2° Biduo post dicit discipulis : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis.* Noluit sanare, ut posset resuscitare ; et expectavit quartum diem, quo mors esset certior, et resuscitatio illustrior.

3° Fidem in sororibus excitat et perficit. Jubet sibi ostendi locum, amoveri lapidem et impedimenta ; flet, et fremit in se ipso, multis præsentibus : nec horret fœtorem quatriduani. Hæc omnia et singula expende, et ad te reflecte.

PUNCTUM II. — Series miraculi.

(1) *Hebr.*, 12. — (2) *Matth.*, 17. — (3) *Joann.*, 11.

1° *Jesus, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quia audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis : sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* Gratias agit jam ante, orat, contestatur, et totum refert ad gloriam Patris, ad fidem astantium, ad salutem omnium.

2° His dictis, imperans voce magna, clamavit : *Lazare, veni foras.* Mors et infernus stupens obedit voci Domini.

3° Nam *statim, qui fuerat mortuus prodiit vivus, ligatus pedes et manus institis*, et linteis sepulcralibus involutus; quem a discipulis jubet solvi : *Solvite eum, et sinite abire.* Mirare hic Christi potentiam, agnosce insigne miraculum, intellige mysterium.

Punctum III. — Subsecuta miraculum.

1° Quis stupor et tremor omnium, viso quatriduano redivivo repente prodeunte e sepulcro! quæ fides, exultatio, gratulatio Lazari et sororum ejus, discipulorum et multorum ex astantibus conversorum!

2° Sed quæ cæcitas et obduratio quorumdam ex ipsis : *qui abierunt ad Pharisæos*, et ex invidia cum eis iniverunt consilium contra Jesum et Lazarum, ut eos occiderent!

3° Verum quæ Christi modestia! non jactat miraculum, non inaniter exultat, non insultat incredulis; sed potius eorum invidiæ et furori cedit, subducens se. *Jam enim non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit juxta desertum in civitatem Ephrem; et ibi morabatur cum discipulis suis* (1), donec hora a Deo præscripta venisset, in ejus beneplacitum semper intentus. *Ego gloriam meam non quæro, sed gloriam ejus qui misit me* (2). Hæc a tanto Magistro disce.

(1) *Joann.*, 11. — (2) *Ibid.*, 8.

COLLOQUIUM. — Pete hunc spiritum Christi, quo regaris si quando dignetur Deus magna per te operari.

III. MEDITATIO.

DE SOLEMNI INGRESSU JEROSOLYMAM.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus pullo asinæ insidens.
Præludium III. — Pete intimos ejus sensus nosse et induere.

PUNCTUM I — Præparatio ad ingressum.

1° *Ascendens Jerosolymam* (1), in via gressum accelerat, et longe *præcedit discipulos*, ad stuporem ipsorum. Sic nimirum appetit pati et opprobriis saturari.

2° Declarat discipulis imminentem passionem suam. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et occident eum* (2). Sic crucem semper in corde et præ oculis habebat, et *ex abundantia cordis os loquebatur.* (3)

3° *At ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud,* etsi clarum, *absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur* (4). Natura quippe pati et humiliari renuit, verbum istud non intelligit.

4° Vult urbem solemniter ingredi, ad implendam prophetiam et Patris voluntatem, ad ejus gloriam, piorum consolationem, et propriam sui abjectionem per secuturam brevi ignominiam. Et præmittens Petrum et Joannem, ostendit divinitatem suam, absentia et occulta detegens, de cordibus hominum cum imperio disponens, et discipulos a scandalo præcavens. Hinc disce quo plausus hominum referas.

PUNCTUM II. — Ingressus ipse cum circumstantiis.

1° *Sedet Christus super* adductum *asinæ pullum*,

(1) *Marc.*, 10. — (2) *Luc.*, 10. — (3) *Matth.*, 12. — (4) *Luc.*, 18.

apostolorum vestimentis stratum. Hic currus illius triumphalis. *Ecce Rex tuus, Sion, venit* (1), tibi mansuetus, et humilis in ipsa gloria.

2° Discipulis hinc inde circumstantibus, *plurima turba straverunt vestimenta sua in via* (2). *Alii cædebant ramos palmarum atque olivarum de arboribus, et qui præibant, et qui sequebantur, omnes certatim clamabant : Hosanna Filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Tria hic concurrunt, cor, manus, lingua ad solidam devotionem necessaria. Plausus hic Deo et Christo dignus, superans triumphos Cæsarum. Huic accede, et his te adjunge.

3° Ipse interim *videns civitatem, flevit super illam* (3). Jam prævenit illud : *Nolite flere super me, quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi... nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, etc.* (4). Sic Christus flet in mediis gaudiis : triumphus ille nihil ad ipsum pertinet, imo hunc refert ad majorem imminentis suæ Passionis ignominiam. Sic et tu age, si reperiaris in iis quæ mundus amat, crucis Christi jugiter memor.

PUNCTUM III. — Secuta ingressum.

1° Cum intrasset, *commota est civitas, dicens : Quis est hic?* Populi autem simplices : *Hic est Jesus, propheta a Nazareth Galilææ* (5). Quisque pro suo affectu motus fuit gaudio et tristitia. Gaude tu, et gratulare gaudentibus ; ipsum confitere.

2° Ipse auctoritate sua usus ad gloriam Patris, *ingressus in templum Dei, inde ejecit vendentes et ementes; cæcos et claudos* benigne *sanat*, et omnes *publice docet.* (6)

(1) *Is.*, 62; *Zachar.*, 9. — (2) *Matth.*, 21; *Luc.*, 19. — (3) *Matth.*, 21; *Luc.*, 19. — (4) *Luc.*, 23. — (5) *Matth.*, 21. — (6) *Ibid.*

3° *Pharisæi*, invidia tabescentes, *monent eum ut increpet clamantes;* ipsi non audent. Quibus modeste respondet: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt* (1). *Non legistis: Ex ore infantium, etc.* (2) Causam Patris tuetur, non suam, et tuetur ex Scriptura.

4° A nemine invitatus, *cum jam vespera esset, circumspectis omnibus, egressus est cum suis Bethaniam* (3). Et nihilominus quotidie redit in civitatem, et in templo docet ut prius. Mirare et illorum ingratitudinem, et Christi beneficentiam; illam detestare, hanc imitare.

COLLOQUIUM. — Pete a Deo, per Christum, sic omnes hominum plausus excipere, et in tertio humilitatis modo perstare.

Legi poterit sermo Domini in Monte, Matth. 5, vel repeti totus sermo post Cœnam.

Ex Imitatione Christi, lib. III, cap. 9, quod omnia ad Deum sicut ad finem ultimum referenda sunt; cap. 11, quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda; et cap. 21, quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum est.

XXII. CONSIDERATIO.

DE OFFICIIS GESTIS AUT GERENDIS.

Lectio ex Summario Constitutionum Reg. 31, 32 et sequent. Circa officia, tria potissimum consideranda sunt; nimirum, 1° dispositio ad illa acceptanda; 2° applicatio ad illa implenda; 3° renumeratio pro illis exspectanda.

I. — Circa dispositionem ad consueta religionis officia.

1° Quisque conari debet aptum et idoneum se reddere ad omnia officia exercenda, pro suo gradu, quæ ad aliquod horum necessaria vel utilia sunt. Hoc enim debet Deo et religioni.

2° Sic præparatus ad omnia, debet esse indifferens ad omnia; nihil optare, nihil petere, nihil recusare; sed in omnibus exspectare et sequi nutum obedientiæ: hoc enim est fundamentum pacis et securitatis, nec non fiduciæ in Deo, ad vires obtinendas collato officio pares. Hoc sacrificium Deo debitum

(1) *Luc.*, 19. — (2) *Ps.* 8. — (3) *Marc.*, 11.

et acceptum; cujus providentiæ nemo se subtrahere debet, nec impune potest.

3° Huic laudabili indifferentiæ non obstat, 1° offerre se paratum ad officia humilia, laboriosa, odiosa, quæ plerique refugiunt, modo pro illis pueriliter non contendat; 2° nec timere et subterfugere exteriora et periculosa, in quibus animus facile effunditur, et frequens est occasio peccati, dum id fiat salva obedientia; 3° neque deprecari officium ad quod sanitas et vires non suppetunt, modo id fiat Deo prius consulto, et post rem superiori expositam, ejus dispositioni acquiescendo.

4° Qua etiam cautione adhibita, poterit ex humilitate, ad exemplum sanctorum, oblata prælatura recusari.

II. — Applicatio ad implenda officia ab obedientia injuncta.

1° Debet esse magna, etiam in minimis, ne incurratur maledictio ejus *qui facit opus Dei negligenter* (1), et ut meritum et præmium obedientiæ consequatur. Qui magna strenue exequitur, et minora negligit, ostendit se nec soli Deo servire, nec bono communi intentum esse.

2° Eadem tamen applicatio debet esse moderata et bene ordinata, hoc est absque inordinato affectu; debet enim officium esse medium sanctificationis, non impedimentum salutis. Quid prodest homini si sit bonus Officialis, bonus Procurator, bonus Concionator, nisi sit simul bonus religiosus?

3° Debet esse subordinata et pacifica; 1° quidem, quia ubi plures sunt in eodem officio, ordo exigit ut ei, qui primatum habet, alii subsint et cedant, et in Societate in culina laborantes coquo debent parere; 2° autem, quia ubi plures eidem negotio allaborant, debent eadem mente, eodem consilio, eadem via ad idem tendere: adeoque quilibet debet aliis se accommodare, alioqui erit turris Babel; et opus nec placebit Deo, nec proximos ædificabit. Ad hoc expedit ut pro bono pacis etiam seniores interdum junioribus cedant, et unusquisque, sui immemor, quod magis arduum est, pro se sponte suscipiat: esto, negotium forte minus recte procedat, dum servetur charitas. Cavendum tamen ne diuturna ejusdem officii societas inordinatas affectiones inter personas pariat, ut vel separari ab invicem, vel aliis associari nolint.

III. — Successus et remuneratio officii.

1° Si officium tibi prospere succedit, cave id industriæ tuæ tribuas, aut tibi vane complaceas, sed totum Deo tribue: *Quid enim habes quod non accepisti* (2)? 2° Si minus succedit, ne despondeas animum, sed *humiliaris sub potenti manu Dei*, (3) qui te tentat et probat. 3° Si compares te cum his quibus melius succedit, ne invideas, sed humiliare. 4° Si cum iis quibus minus bene, tunc animum erige. 5° Ubi strenue laboraveris, successum Deo committe, curam exigeris, non curationem; et sicut officium ex obedientia suscepisti, ita illud ex obedientia pari cum indifferentia dimitte.

Nulla ab hominibus merces aut gratia expectanda est; nam

(1) *Jerem.*, 48. — (2) *I Cor.*, 4. — (3) *I Petr.*, 5.

1° Beneficium commune ab omnibus accipitur, merces a nemine redditur; sed hic nulla ab ipsis debetur, tum quia non ipsis, sed Deo servimus; tum quia ipsi nobis vicissim in aliis officiis serviunt. 2° A Deo in altera vita *erit merces* nostra, *magna nimis* (1), nempe. Deus ipse. 3° Absit, ut aliquam mercedem transitoriam nobis in præsenti tribuat, quæ futuram in æternitate minuat.

DIES VIGESIMUS TERTIUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.

PRÆPARATIO AD PASSIONEM CHRISTI.

Proprio Filio non perpecit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. (*Roman.*, 8.)

I. MEDITATIO.

PRÆPARATIO EX PARTE ALIORUM.

Præludium I. — Specta consilia Sanctissimæ Trinitatis, Judæorum, et cum ipsis Judæ Iscariotæ.

Præludium II. — Pete gratiam mysterium capiendi cum affectu et fructu.

PUNCTUM I. — Cogita te interesse æterno et arcano Sanctissimæ Trinitatis consilio, de homine lapso, vel perdendo, vel salvando.

1° Justitia certat de illo perdendo, et pro merito puniendo. Allegat præcepti facilitatem, disertam pœnæ comminationem, plene liberam transgressionem. Hinc agnosce culpæ gravitatem, et detestare; meritum pœnæ et veniæ indignitatem, et time; insufficientiam creaturæ ad satisfaciendum, et expave.

2° Misericordia contra certat de illo salvando. Allegat autem ejus figmentum et fragilitatem, tentatoris invidiam et malitiam, totius generis humani jacturam contra Dei propositum, et gloriam ejus ex venia secuturam. Hæc et tu motiva Deo obtende et spera.

(1) *Genes.*, 15.

3° Sapientia litem dirimit. *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (1). Non quidem homo purus, sed Homo-Deus, qui condigne satisfaciat pro peccato hominis ; adeoque ut Filius Dei, ipsa Sapientia, homo mortalis fiat et moriatur. Expedit porro gloriæ Dei, hominum saluti, œconomiæ universi, justitiæ et misericordiæ conciliationi. *O altitudo Sapientiæ et Scientiæ* (2)! *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* (3). Admirare, gratias age, ama tantam bonitatem tantamque charitatem.

Punctum II. — Specta consilium Judæorum.

1° *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium* adversus Jesum, *dicentes : Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum : et venient Romani, etc.* (4) Admirare consilium Dei, sic hominum malitia et conatibus utentis ad fines suos, et ad æterna et arcana consilia implenda.

2° *Si dimittimus eum, sic venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem. Temporalia perdere timuerunt, et æterna non cogitaverunt, et sic utraque amiserunt.* (S. August.)

3° Unus autem ex ipsis, Caïphas dixit : *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis* (5). Vide hominis fastum, digni, qui præsit *consilio impiorum, et in cathedra pestilentiæ sedeat* (6). *Quia*, inquit, *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Idem hic dicitur, quod in consilio Sanctissimæ Trinitatis ; sed longe diversa intentione et significatione. *Hoc autem a semetipso non dixit Caïphas ; sed, cum esset Pontifex anni illius, prophetizavit quod Jesus moriturus erat pro gente.*

(1) *Joann.*, 11 — (2) *Rom.*, 11. — (3) *Joann.*, 3. — (4) *Ibid.*, 11. — (5) *Ibid.* — (6) *Ps.* 1.

et ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum (1). Mirare iterum hic Dei sapientiam, per os impii Pontificis oracula fundentem, *ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum* (2). Hæc conclusio, hic scopus eorum.

Punctum III. — Vide Judam proditorem cum ipsis paciscentem.

1° *Tunc*, post funestum illorum consilium, et agnita invidia eorum, ex occasione unguenti super caput ejus profusi, *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes sacerdotum* (3). Hoc est unus ex intimis Christi ad hostes ejus infensissimos.

2° *Et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Paratum se ostendit ad scelus patrandum, pretium eorum voluntati relinquit, in contemptum Domini.

3° *At illi constituerunt triginta argenteos;* pretium vilis jumenti, mancipio inæquale. *Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet,* sine turbis, ne forte evaderet. Sic ille in profundum lapsus est; et sic Christus, *definito consilio, et præscientia Dei, traditus est per manus impiorum.* (4)

Colloquium. — Gratias age sanctissimæ Trinitati et Christo Domino, pro te et pro omnibus.

II. MEDITATIO.

CÆNA LEGALIS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus discumbens cum duodecim.
Præludium III. — Pete introïre in sensus et affectus ejus intimos.

Punctum I. — Præparatio ad cœnam.

1° Christus passioni præludens, mittit *Petrum et Joan-*

(1) *Joann.*, 11. — (2) *Ibid.* — (3) *Matth.*, 26. — (4) *Act.*, 2.

nem, dicens : *Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est, apud te facio Pascha* (1), *et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate* (2). Quod illi fecerunt, hospite annuente. Idem tibi dictum puta, et para.

2° *Vespere autem facto, discumbens cum illis, ait : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar* (3). Vide ut animo assidue versat passionem suam ; pari affectu ad Eucharistiam accede, et ad sacrificium offerendum.

3° Adjecit paulo post : *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est, qui manducat mecum* (4). Quam indignum facinus ! et contristati exquirunt singuli, dicentes : *Numquid ego sum, Domine* (5) ? Unus tantum insimulatur, omnes sibi timent. Et tu tibi time.

Punctum II. — Comedit Agnum typicum Agnus verus.

1° Morti imminens omnes ritus legis et cærimonias ad amussim servat. Nihil te impediat ab observatione legis.

2° In singulis, quid significent, et quo spectent contemplatur, et apud se revolvit.

3° Offert se ex animo ad figuram reipsa implendam. Et tu in sacrificio fac similiter.

Punctum III. — Subdit lotionem pedum mysteriis et instructione plenam.

1° *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus ; et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna* (6). Omnia solus præparat, *et cœpit lavare pedes discipulorum suorum, et extergere linteo quo erat præcinctus.* Ex infinita personæ dignitate agnosce profundam ejus humilitationem, et mysterium reverere.

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Luc.*, 22. — (3) *Matth.*, 26 ; *Luc.*, 22. — (4) *Matth.*, 26. — (5) *Marc.*, 14 ; *Matth.*, 26. — (6) *Joann.*, 13.

2° *Venit ergo ad Simonem Petrum* (forte primum omnium) : *Domine*, inquit, *tu mihi lavas pedes!* (1) Pondera singulas voces. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Tremenda comminatio! *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.* Ex obedientia, timore et amore. Et sic a Simone ad Judam usque Iscariotem pergit. Quis hoc capiat? quis satis miretur? quæ singulorum mens? quis affectus! Ex dictis Petri et responsis Christi conjice.

3° Ausculta subsecutam admonitionem : *Scitis, quid fecerim vobis? si ergo ego lavi pedes vestros, ego Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Non est servus major domino suo. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea* (2). Argumentum efficax et ineluctabile, cum facta dictis concordant, et exemplum præcessit admonitionem; et sic hic insimulat proditorem.

COLLOQUIUM. — Pete hæc omnia probe capere et implere.

III. MEDITATIO.

CŒNA MYSTICA.

Præludium I. — Historia Institutionis Eucharistiæ.
Præludium II. — Christus illam distribuens Apostolis.
Præludium III. — Pete tantum amorem, tantumque beneficium agnoscere et æstimare, ut par est.

PUNCTUM I. — Amor Christi in Eucharistia.

1° Post insignem humilitatem erga suos, insignem quoque charitatem exercuit. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (3). Modum excogitavit et invenit, quo discedens non discederet ab eis, et recedens ab oculis eorum illis intime præsens esset.

(1) *Joann.*, 13. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.*

Quod perfecit, sacramentum passionis et mortis suæ memoriale instituens.

2° *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem*, et gratias agens, *benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est Corpus meum ; et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ; hoc facite in meam commemorationem* (1). Quibus verbis illis potestatem fecit idipsum faciendi, seu consecrandi, et sacrificandi in memoriam mortis suæ, *donec veniat*, hoc est usque ad finem mundi et diem judicii. Agnosce doni hujus magnitudinem inæstimabilem, gratias age quam maximas, et quoties usurpas, passionem Domini recole.

3° Doni pretium augent, et charitatem impensius commendant circumstantiæ tum institutionis, tum repetitionis. 1° Institutionis quidem tempus, *in qua nocte tradebatur* (2) ; locus, Jerosolymis, ubi postridie crucifigendus erat. Personæ, in quibus et Judas proditor : usus, non ad servandum tantum et adorandum, sed ad manducandum. 2° Repetitionis vero omnium, tum consecrantium, tum participantium, quamvis indignorum, nemine excluso, in omni loco et tempore, quoties libuerit, usque ad finem mundi irrevocabiliter. Admirare, lauda, gratias age pro omnibus, et specialiter pro te, quod tanti mysterii non solum participem, sed etiam ministrum elegerit ; et instanter pete ut te dignum suis altaribus faciat ministrum.

Punctum II. — Postremum sermonem, eumque efficacissimum ad suos habuit, in quo quasi testamento commendavit, 1° sui amorem et mandatorum custo-

(1) *Matth.*, 26. — (2) *I Cor.*, 11.

diam; 2° mutuam dilectionem. *Hoc est,* inquit, *præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (1). 3° Orationis studium : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* 4° Inter pressuras et adversitates fiduciam in Deo, promisso illis Spiritu Sancto. Hæc Christus ad discipulos, instante passione, quos neque in ipsa passione oblitus est aut neglexit. Disce hinc tuorum et aliorum in extremis curam agere.

Punctum III. — Non tantum consuetum hymnum dixit (2), sed et longam et ferventem orationem adjunxit. In qua a Patre petiit

1° Ut signis sua passio illustraretur, ex quibus agnosceretur Dei Filius, et Patris cognitio atque amor splendesceret. *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Allegat suam obedientiam : *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.*

2° Orat pro discipulis, multisque allegatis motivis; petit ut servet eos a malo, in unitate et sanctitate. Similiter et pro iis *qui credituri erant per verbum illorum, ut sint unum, sicut et nos.* Confide orationi Christi, illamque Patri repræsenta.

3° Ostendit ad quem finem omnia referat. *Ut cognoscat,* inquit, *mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut me dilexisti, et ipsi videant claritatem tuam.* Hinc refert passionem suam ad gloriam Patris et suam, et ad hominum salutem; optatque illam esse efficacem ad hæc omnia. Quod et optare maxime viros apostolicos decet.

Colloquium. — Intra in hos omnes Christi affectus.

Lege ex Libello et ex Directorio, quæ spectant ad tertiam hebdomadam. Item ex Gaudier, cap. 29 : Deus viros apostolicos rebus adversis tandem perficit.

(1) *Joann.*, 14. — (2) *Ibid.*, 17.

XXIII. CONSIDERATIO.

DE STUDIIS.

I. — Studiositas virtus est quæ affectum et conatum cognoscendi, secundum rationis præscriptum moderatur.

1° Ne quis plura vel altiora scire cupiat quam ejus capacitas et conditio ferat, aut pluris faciat scientiam quam virtutem.

2° Ipsum studium sic moderatur, ut quis studeat quibus et sicut oportet, ad quod excitat.

3° Atque ita duplici vitio utrinque oppositio resistit, nempe curiositati, quæ rebus inutilibus et non convenientibus vacare vult, et negligentiæ, quæ est voluntaria omissio discendi ea quæ scire quis tenetur; illam refrænat, hanc exstimulat.

II. — Amplectendum sancti Bernardi, Serm. 36 in Cantic., consilium: *Observa*, inquit, *quid scire magis, priusve oporteat: tempus enim breve est. Ea igitur prius scire ampliusque cura, quæ senseris viciniora saluti. Quo ordine? quo fine? Sunt namque qui volunt scire eo tantum fine ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et turpis quæstus est. Et sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, et charitas est; et item qui scire volunt ut ædificentur, et prudentia est.*

III. — Duo ultima pertinent ad studium religiosorum, præsertim Societatis, qui volunt scire ut ædificentur ipsi, et alios ædificent.

1° Cum tota religiosi hominis vita divinis obsequiis mancipata sit, omne studium ad amorem Dei a religioso ordinatur. Quod Apostolus docuit cit. cap. 1: *Ad agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ.*

2° Quare religiosus studeris conjungat scientiam amori, ut beati in Cœlo; non sit in eo nuda scientia, sed scientia spirans amorem. Hinc Suarez, ex Augustino, lib. de gratia et libero arbitro, cap. 1: *Religiosi animus non ita absorbeatur, ut non quandoque ad Deum recurrat, nunc intentionem innovando, nunc petendo auxilium, nunc gratias agendo de veritatis intelligentia.*

3° Religiosus allaboret ut totum studium suum sacrum sit et divinum. Deumque semper præsentem habeat; ante studium per intentionem, in studio per aspirationem, post studium per reditum ad ipsum, ut ad centrum.

IV. — Jam quoad studia Societatis, Regula Scholasticorum prima hæc est: *Animi puritatem custodire, et rectam in studiis suis intentionem habere Scholastici nostri conentur; nihil aliud in his, quam divinam gloriam et animarum auxilium quærentes; ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur. Et gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant.* Secunda: *Serio et constanter ad studia animum adjiciant, et.... sibi persuadeant nihil gratius se Deo facturos in Collegiis, quam si ea intentione studiis se diligenter impendant. Et licet nunquam ad ea quæ didicerint exercenda perveniant, illum tamen studendi laborem*

ex obedientia et charitate susceptum opus esse magni meriti in conspectu Dei apud se statuant.

V. — Praxis studendi:

1° Ante præmitte, flexis genibus, cum sancto Thoma orationem: *Creator ineffabilis*, etc., vel: *Da mihi, Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te, Domine Deus. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* (1)

2° Librum vel calamum arripiens, dic: *Tot tibi sint laudes, Jesu, quot grammata scribo;* vel quid simile.

3° In ipso studio animum interdum ad Deum attolle, ut supra dictum est, verb. gr. ad pulsum horæ.

4° Ultra duas horas studio ne incumbas, sine aliqua interruptione, juxta Regul.

5° Absoluto studio, reflecte ad usum eorum quæ didicisti, ad Dei gloriam, tuumque et aliorum profectum.

6° Offer totum Sanctissimæ Trinitati per manus Beatæ Virginis, Angeli vel Patroni. Repete: *Tot tibi sint laudes*, etc.

DIES VIGESIMUS QUARTUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ SECUNDUS.

DOLORES CHRISTI INTERNI.

Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. (*Thren.* I.)

I. MEDITATIO.

DE CHRISTI TRISTITIA ET TÆDIO.

Præludium I. — Historia.

Præludium II. — Specta Christum in horto tristitiam tribus Apostolis aperientem.

Præludium III. — Pete ipsi compati, et contristari ut decet.

PUNCTUM I. — Quoniam inter ea quæ in vita spirituali toleranda sunt, acrius pungit tristitia interior de temporalibus aut spiritualibus concepta, maxime si absit omnis consolatio divina, qua anima sustentetur et confortetur : ideo voluit Christus Dominus ipsam hanc tristitiam sine ulla consolatione tolerare, ut et plus

(1) *Sapient.*, 9.

pateretur, et totus pateretur, nobis et patientiæ et pœnitentiæ exempla præberet, nosque doceret remedia contra ejusmodi pœnas internas. Cumque adversæ potestates in animam ejus nihil possent, ipse ultro hunc in se dolorem excitavit ad gloriam Patris, et salutem et instructionem nostram. Gratias age, et ab eo disce pœnas internas, undecumque venientes utiliter pati.

Punctum II. — Quatuor velut passiones diversas notat Evangelium : nempe, *tristitiam*, *timorem*, *tædium* et *agoniam*, quæ in voluntate tum superiori, tum inferiori, circa diversa objecta versabantur.

1° Timor fuit de omnibus quæ passurus erat in corpore suo naturali successive in decursu totius passionis, quæ omnia simul et semel sensit. Et de omnibus quæ deinceps in corpore suo mystico : in Beata Virgine, apostolis, martyribus, aliisque fidelibus, seu membris, quorum mala ut caput præsentiebat.

2° Tristitia, tum de his omnibus, tum de omnibus omnium hominum peccatis, quæ præsentia habebat.

3° Tædium addens tristitiæ quandam puritatem, de perditione Judæ, reprobatione Judæorum, jactura et damnatione tot fidelium, modico demum fructu Passionis suæ. *Quæ utilitas in sanguine meo* (1), cujus una stilla innumeris mundis salvandis sufficisset !

4° Agonia fuit pugna inter partem inferiorem pati repugnantem, et superiorem pati appetentem, quæ mutuo conflictu dolorem aggravabant.

Punctum III. — Pondera hujus doloris magnitudinem.

1° Christus his passionibus plenus fuit in omnibus animæ potentiis.

2° Exclusit omne gaudium, omnemque delectationem

(1) *Ps.* 29.

aut consolationem a divinitate aut visione beatifica, in animam saltem sensibiliter redundantem. *Sequestrata æternæ divinitatis delectatione, tædio nostræ mortalitatis afficitur*, inquit sanctus Ambrosius, *miraculo pœnas suas augens et aggravans.*

3° Hæc tristitia fuit summa, major omni dolore corporali, quia fuit spiritualis ; major omni spirituali turpi vel honesta moraliter, quia supernaturalis ; major etiam quacumque supernaturali, ut pote causa meritoria et exemplari illius. Deinde fuit de omnibus omnino peccatis præteritis, præsentibus et futuris clare cognitis, ex amore summo et gratia maxime intensa. Unde *magna* dicitur *velut mare contritio ejus* (1). Hinc pete aquas contritionis. Quod si qui pœnitentes corde scisso ex contritione mortui sunt, quid fieret Christo, nisi obsisteret?

Hic dolor fons est et exemplar illius, quem excitare debes in confessione activa et passiva.

Colloquium. — Pete non modicam tanti doloris participationem.

II. MEDITATIO.

QUOMODO CHRISTUS IN TRISTITIA SE GESSERIT.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus in oratione prostratus.
Præludium III. — Pete eum imitari in pœnis.

Punctum I. — Quid facit Christus in illa tristitia? 1° Non illam refugit, aut vitare quærit, non humana emendicat solatia, nihil immutat in modo agendi, *ibat secundum consuetudinem in montem olivarum* (2). 2° In ingressu octo discipulos relinquit, tribus fidissimis assumptis aperit tristitiam, non ad solatium, sed ad documentum : *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem* (3). Perpende singulas voces : *Sustinete hic, et*

(1) *Thren.*, 2. — (2) *Luc.*, 22. — (3) *Matth.*, 26.

vigilate mecum. 3° Paulo post adhuc avellens se ab eis, ait : *Sedete hic, donec vadam illuc et orem* (1). Sic et tu in pœnis internis acquiesce Deo, sta in propositis, despice humana solatia, aperi quibus debes, precibus te commenda, ad orationem ipse confuge juxta Regul. 5, **de discernendis spiritibus.**

Punctum II. — Oratio Christi. 1° Avellit se ab intimis, *quantum est jactus lapidis* (2) : solitudo ad orandum. 2° *Positis genibus, procidit in faciem* (3) super terram, ex humilitate et reverentia. 3° *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt* (4) : fiducia. 4° Repetit orationem. *eumdem sermonem dicens* (5) : fervor et perseverantia per tres horas. Hæc observa in orando. Orationis autem prima pars : *Si possibile est, transeat a me calix iste* (6), ut non bibam illum, vel cito a me ad alios, et quidem omnes, transeat : desiderium suum inefficax exponit. Secunda pars illud idem corrigit per omnimodam resignationem in beneplacitum Patris : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Non quod ego volo, non sicut ego volo, sed sicut tu* (7). Sic age in oratione, expone Deo desiderium, propone repugnantiam, pete remedium ; sed tandem ejus beneplacito perfecte in omnibus acquiesce.

Punctum III. — 1° Semel, iterum, tertio orationem abrumpit, et discipulos invisit ; sed statim ad orationem recurrit. Sic Deus pro Deo relinquendus ; a Deo ad proximum tibi commissum, ab hoc ad Deum recurre. 2° *Invenit illos dormientes* (8) ; excitat, increpat, exprobrat nominatim Petro : *Simon, dormis? sic non potuistis una hora vigilare mecum. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro*

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Luc.*, 22. — (3) *Matth.* 26. — (4) *Marc.*, 14. — (5) *Ibid.* — (6) *Matth.*, 26. — (7) *Luc.*, 22; *Marc.*, 14; *Matth.*, 26. — (8) *Ibid.*

autem infirma (1) : urgentia motiva. 3° Illi quidem increpati silent, sed statim somno succumbunt ut prius : hæc humana fragilitas. Id ipsum tibi dictum puta, nec in mœstis subditos neglige, nec cum fragilibus durius age.

Colloquium. — Pete per orationem Christi spiritum vigilandi, orandi, agendi quod agendum est.

III. MEDITATIO.

Christi confortatio, agonia, et sudor sanguinis.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Angelus cum Christo colloquens, et hic in sanguine natans.
Præludium III. — Pete resistere peccato ad sanguinem usque.

Punctum I. — *Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum* (2) : hic fructus ferventis orationis et resignationis. Gabriel fortitudo Dei, incarnati Verbi minister, apparet afflicto non consolans, sed confortans, proposita necessitate patiendi ex obedientia ad gloriam Patris et propriam, ad salutem hominum susceptam, ad satisfactionem pro peccatis. Quæ omnia Christus, etsi optime nosset, humiliter tamen a creatura sua ex parte Patris accepit, et benigne audivit. Disce in pœnis et desolatione quærere robur, non solatium, nec dedigneris inferiores tibi recta consulentes, teque in proposito confirmantes, et idipsum in occasione aliis præsta.

Punctum II. — *Et factus in agonia prolixius orabat* (3). Confortationis cœlestis effectus fuit illa agonia in oratione prolixa, quæ in desolatione ultra terminum producenda. In ea sic fortiter impugnavit omnes animi motus a patiendo avertentes, ut omnes naturæ repugnantias penitus expugnaverit, pleneque devicerit. Sic et tu in oratione prolixa passiones tuas, et aversiones

(1) *Marc.*, 14 ; *Matth.*, 26. — (2) *Luc.*, 22. — (3) *Ibid.*

tibi propone, viriliter impugna, et penitus devince. Quod tamen non præstabis, nisi confortatus a Deo et ejus adjutorio fideliter pleneque respondens.

Punctum III. — *Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram* (1). Prodigium hactenus inauditum! quanta vi opus fuit, ut cruentus ille sudor ex omnibus membris erumperet? quæ ejus copia, ut in terram usque decurreret, non stillaret? Hinc disce qualis et quanta fuerit Christi agonia. Sic *resiste* peccato *ad sanguinem usque.* (2)

Victor ab oratione resurgens, discipulos verbo et exemplo animat : *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.* (3)

Colloquium pro affectu.

IV. MEDITATIO.

DE COMPREHENSIONE CHRISTI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus vinctus ab armatis circumdatus.
Præludium III. — Pete compassionem.

Punctum I. — Animose surgit ab oratione, et discipulis appropinquans, dicit : *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet* (4). Hic fructus agoniæ et virilis resistentiæ.

2° *Adhuc eo loquente, ecce Judas venit; et accedens dixit : Ave, Rabbi : et osculatus est eum* (5). Sic unus de duodecim apostolis factus est *dux eorum qui comprehenderunt Jesum.* (6)

3° *Dixitque illi Jesus : Amice! ad quid venisti? Juda, osculo Filium hominis tradis* (7)? Blande compellat, facti indignitatem sibi notam aperit, et ad pœnitentiam invitat; sed frustra.

Punctum II. — 1° *Jesus itaque sciens omnia quæ*

(1) *Luc.*, 22. — (2) *Hebr.*, 12. — (3) *Matth.*, 26. — (4) *Ibid.* — (5) *Ibid.* — (6) *Act. Apost.*, 1. — (7) *Matth.*, 26 · *Luc.*, 22.

ventura erant super eum, processit libens et volens, *et dixit* turbæ : *Quem quæritis?* Respondentibus : *Jesum Nazarenum,* dixit : *Ego sum; et abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo* idem *interrogatis,* idemque respondentibus, subjecit Jesus : *Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* (1) En providentiam erga discipulos a malo servatos.

2° *Simon ergo Petrus eduxit gladium, et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Dixit ergo Jesus Petro; Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? et cum tetigisset auriculam servi, sanavit eum* (2). En benignitatem.

PUNCTUM III. — 1° *Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus; cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me, sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* (3)

2° Ubi hoc dixit, quasi data sibi licentia, *accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum* (4), et tanquam latronem ligaverunt. Quæ ignominia!

3° *Tunc* ex adverso *discipuli ejus omnes, relicto eo, fugerunt.* Omnes, inquam, ne excepto quidem Petro, qui paulo ante gladium exemerat, nec dilecto quidem Joanne, qui tamen paulo post *a longe secuti sunt.* Quæ fragilitas! quæ rerum conversio! ubi sunt ista : *Eamus, et nos, ut moriamur cum eo?* (5)

COLLOQUIUM. — Lectio eadem continuabitur apud Gaudier, cap. 29.

Ex libro I de Imitat. Christi, cap. 12, de utilitate adversitatis; item lib. II, cap. 9, de carentia omnis solatii.

(1) *Joann.*, 18. — (2) *Luc.*, 22. — (3) *Matth.*, 26. — (4) *Ibid.* — (5) *Joann.*, 11.

XXIV. CONSIDERATIO.

DE SCHOLIS REGENDIS, ET PUERORUM EDUCATIONE.

I. — Hæc obligatio videri potest ex voto, saltem expressa est in Formula professionis, et votorum Coadjutorum spiritualium, ut Societati quasi essentialis. Certe exigit justitia ex fundatione Collegiorum.

II. — Quare quilibet nostrum hoc sacrificium Deo debet, quamvis appetitu repugnante, ut sit paratus cum pueris repuerascere, ut scribebat sanctus Franciscus Xaverius de se ipso.

III. — Ministerium docendi illos ex charitate præfert divus Thomas martyrio, considerato secundum speciem actus 2, 2, quæst. 124, art. 5, ad. 5, ideoque illud magni fecerunt sanctissimi et gravissimi viri omnium seculorum. Quod etiam exercuerunt ipsi Ecclesiæ doctores, sancti Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, et sanctus Benedictus, cujus omnia cœnobia fuerunt quasi totidem gymnasia. Quorum exempla secuti Præmonstratenses, Dominicani, Franciscani, aliique Regulares. Novissime et proprium suscepit et in Societatem transtulit sanctus Ignatius.

IV. — Mirifice juvat ad mortificationem iræ et impatientiæ, et ad multarum virtutum exercitationem, ne scandalizentur parvuli; *puero* enim, inquit Juvenalis: *magna debetur reverentia*.

V. Unusquisque parvulorum Angelum habet Custodem, qui dignatur illum juvare in omnibus viis; sed hic nec videtur nec auditur ab illo. Magister autem, qui videtur et auditur, semper illum in officio continet.

VI. — Cogita quantum boni apud pueros facere possis. Primis annis audita nunquam obliviscuntur, cum sint innocentes, saltem a mundo nondum corrupti, timorem Dei et amorem facilius concipiunt, et diutius retinent: eumdem orandi, confitendi, communicandi modum tunc inceptum fere semper servabunt. Unde e Scholis nostris vel religiosi prodeunt, vel boni Seculares.

VII. — Forte et tu vocationem tuam bonæ Collegiorum educationi debes: redde ergo aliis quod ipse gratis accepisti.

VII. — Viri Apostolici et apud nos zelosi, quique usque in Sinas et Canadenses animas quærunt salvandas: hic habes barbaris illis mitiores, et dociliores. An obvias recusabis, et dæmoni perdendas dimittes.

IX. — Si forte aliquos in mundo perdidisti, hic eos Deo restitue; saltem si Deo minus ferventer servis, per eos id compensa. Preces illorum pro te Deus exaudiet.

X. — Demum si qua distractione et cessatione opus est in studiis, potestne utilior et suavior inveniri?

VI. — Nec dicas, impossibile est in hoc officio multos lapsus vitare. Respondet pater Claudius de la Colombiere Regulas nobis a Deo datas non esse impossibiles, simulque auxilium

ad illas recte servandas esse paratum. Adde culpas leves in eo admittendas, propter majus bonum et meritum facile dimitti.

XII. — Modus pueros educandi, modum agendi Angelorum Custodum imitari debet.

1° Angeli parati sunt ire in omnem terram et locum; non veniunt ad nos, nisi a Deo missi.

2° Sic nobis constanter invigilant, ut Dei visionem nec ad punctum omittant.

3° Custos plebeii ac rustici æque contentus est, ac Custos regis aut principis.

4° Angeli culpas nostras præveniunt: sancte nos et amice monent, nec si resistamus, despondent animum.

5° Nos non deserunt nisi in morte, cum nulla superest spes conversionis quam patienter expectant.

6° Non cessant orare pro nobis; et nos pro singulis oremus ex Regula.

7° Inter se conveniunt in bonum nostrum; et nos cum aliis, qui nobis collaborant, concordes simus.

8° Amant nos pure propter Deum; sic et nos discipulos pure diligamus in Domino.

DIES VIGESIMUS QUINTUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ TERTIUS.

IGNOMINIÆ AD TRIBUNALIA.

Humiliatus sum usquequaque. (*Ps.* 118.)

I. MEDITATIO.

DE GESTIS IN NOCTE.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Repræsentatio Christi vincti et illusi.
Præludium III. — Pete ipsi condolere et assimilari.

PUNCTUM I. — Deductio Christi ad Pontifices.

1° Jesus vinctus trahitur nocte intempesta, cum laternis, facibus et armis (1), per vicos et plateas Jerusalem, cum ingenti clamore, accursu et ludibrio plebeculæ, ubi paucis ante diebus, triumphantis instar, gloriose deductus fuerat. Quæ confusio! quam facilis et subita animorum conversio!

(1) *Joann.*, 18.

2° Deducitur ad Annam primum, ubi, interrogatus de doctrina et discipulis, pro innoxio et miti responso accipit alapam a ministro injusso, sed applaudente cœtu, nec justam læsi excusationem probante. Quæ indignitas! quis Christi sensus!

3° *Et misit eum Annas ligatum ad Caïpham, pontificem* anni illius, nova ignominiæ accessione.

Punctum II. — Calumniæ et contumeliæ apud Caïpham.

1° *Principes sacerdotum et omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent* (1). Hic finis eorum, illud medium, ut jure damnatus et occisus videretur. *Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent*, vel sponte; quorum testimonia non consentiebant, adeo *mentitur iniquitas sibi* (2), adeo nota erat innocentia Jesu, ut non relinqueret locum calumniæ. *Jesus autem*, etsi interpellaretur, *tacebat* (3). Et tu disce tacere.

2° Sed adjuratus a Pontifice exsurgente, confitetur ingenue se esse Christum Dei Filium, quamvis sciret inde mortem sibi imminere. Nam ideo tanquam blasphemus traducitur, et mortis reus declaratur ab omnibus. *Tunc enim Princeps sacerdotum*, contra legem, *scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.*

3° *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt.* Hic quippe honor Filio Dei ab impiis sacerdotibus exhibitus: hæc pars filiorum Dei.

Punctum III. — Recedentibus iniquis judicibus, tota nocte fit ludibrium turbæ custodienti, quæ impiorum sacerdotum exempla sequebatur et superabat. Nam

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Ps.* 26. — (3) *Matth.*, 26.

viri, qui tenebant eum, illudebant ei cædentes, et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus, et interrogabant eum dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? et alia multa blasphemantes dicebant in eum (1). Quæ tu cum dolore recogita. Interim Christus omnia patitur, et silet.

Longe gravius fert trinam Petri negationem, cujus testis est, et quem misericorditer respicit.

COLLOQUIUM. — Pete calumnias et ignominias cum Christo et pro Christo pati, si non gaudenter, saltem libenter.

II. MEDITATIO.

TRADUCTIO CHRISTI AD PILATUM.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus stans ante Præsidem ligatus.
Præludium III. — Pete calumnias et opprobria cum Christo et pro Christo pati.

PUNCTUM I. — Summo *mane*, ut factus est dies.

1° *Consilium inierunt Principes sacerdotum et Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent* (2). Hoc enim erat illis decretum, sed de modo consultabant, et formam aliquam judicii affectabant; unde adducto in consilium dicunt : *Si tu es Christus, dic nobis palam;* et urgent : *Tu ergo es Filius Dei?* quo aiente : *Ego sum; quid adhuc,* inquiunt, *desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus* (3), blasphemiam scilicet.

2° *Et surgens omnis multitudo eorum,* post noctem insomnem, *duxerunt illum ad Pilatum* (4). Surge tu summo mane ad Christum adorandum et laudandum. *Et ipsi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur* (5), nec tamen verentur homicidium aut deici-

(1) *Luc.*, 22. — (2) *Matth.*, 27. — (3) *Luc.*, 22. — (4) *Joann.*, 18. (5) *Luc.*, 23.

dium. Hypocritæ *culicem excolantes, et camelum glutientes?* cave a tali illusione.

3° *Tunc videns Judas quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos* (1) ; crimen confessus : *Peccavi tradens sanguinem justum. Et, projectis argenteis in templo, abiens laqueo se suspendit.* ex desperatione veniæ. En quo passio indomita Apostolum deduxit !

Punctum II. — Christus stans ante Pilatum in prætorio, ligatus cum satellitio.

1° *Exïit ergo Pilatus ad eos foras, et dicit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc* (2) ? recte et juste. At illi superbe respondent : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sic Sanctus Sanctorum traducitur, et silet. Dicit ergo eis Pilatus : *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum* (3). Ignave et inique adversariis et invidis tradit innocentem ; et cujus protector esse debuerat, recusat esse judex. Dixerunt ei Judæi : *Nobis non licet occidere quemquam*, excipe supplicio crucis, ut Dei decretum, oracula Prophetarum, et *sermo Jesu impleretur.* (4)

2° *Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum Regem esse* (5). Tria crimina publica, maxime odiosa, sed plane calumniose illi afflicta contra factorum evidentiam.

3° Hoc sentiens Pilatus, *sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum* (6) summi Sacerdotes, hæret in ultimo, dicens ei : *Tu es Rex Judæorum?* Respondit Jesus : *Tu dicis* (7), ita est : addens tamen et probans *regnum suum non esse de hoc mundo* (8) ; unde nihil ab eo timendum esse. Hinc Pilatus, a rite interrogato, *exi-*

(1) *Matth.*, 27. — (2) *Joann.*, 18. — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.* — (5) *Luc.*, 23. — (6) *Matth.*, 27. — (7) *Luc.*, 23. — (8) *Joann.*, 18.

vit ad Judæos dicens : Ego nullam invenio in eo causam (1) ; hoc illustre testimonium innocentiæ Christi. Et in hac sententia constanter perseveravit Pilatus.

PUNCTUM III. — Nihilominus *accusabant illum summi Sacerdotes in multis* (2). Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens : *Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer* (3). Mirare et tu, sed et imitare. Vide quam eloquens sit illud silentium, multiloquium et inanem garrulitatem damnans.

COLLOQUIUM. — Domine, *non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* (4)

III. MEDITATIO.

TRANSMISSIO CHRISTI AD HERODEM.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus stans ligatus coram Herode et aulicis.
Præludium III. — Pete compassionem et imitationem.

PUNCTUM I. — 1° Pilatus in omnem occasionem declinandæ invidiæ (5) unice intentus, audito Galilææ nomine, ansam arripit, et statim remittit Jesum ad Herodem Galilææ regem, Jerosolymis tunc versantem, quem ipse nec damnare volebat, nec absolvere audebat, parum curans quid illi fieret.

2° Jesus ergo rursus clara luce per compita vinctus trahitur summa cum ignominia.

3° *Herodes, viso Jesu, gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, et sperabat signum aliquod videre a eo fieri* (6); sed frustra : non quærit Jesus gratiam Regis, sed opprobria.

PUNCTUM II. — Herodes *interrogabat eum multis ser-*

(1) *Joann.*, 18. — (2) *Marc.*, 15. — (3) *Matth.*, 27. — (4) *Ps.* 140. — (5) *Luc.*, 23. — (6) *Ibid.*

monibus : at illi ipse nihil respondebat. Stabant autem Principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum (1) : at ipse constanter tacebat.

2° Quare nihil respondet, nec patrat? quia Herodes erat indignus : ex mera curiositate quærebat, nec ipse quidquam illi debere volebat. Mirare et æmulare hanc Christi magnanimitatem.

3° Sed mirare simul Herodis cæcitatem, et stoliditatem. Quærit miracula, habet præ oculis, et non videt, et non agnoscit. Nam quale est istud? Christum ibi tacere et cessare, ubi quivis alius prompte loqueretur, et ageret, et vix se continere posset. Talia potes et debes facere miracula.

Punctum III. — Aulæ de Christo judicium.

1° *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo* (2), id est cum aulicis et militibus, tanquam fatuum et insanum.

2° *Et illusit indutum veste alba*, quasi scenicum regni candidatum ; *et remisit ad Pilatum*, cum novo ludibrio.

3° Reconciliati sunt ad invicem damno Christi.

Punctum IV. — Pilatus videns Jesum ad se remissum, novum modum tentavit illum dimittendi. Quotannis in solemnitate Paschæ *consueverat populo dimittere unum vinctum, quem voluissent* (3). *Tunc autem habebat insignem vinctum nomine Barabbam, qui in seditione fecerat homicidium* (4).

1° Componit ergo Jesum cum illo Barabba omnium odiosissimo. *Congregatis ergo illis dixit Pilatus : Quem vultis, ut dimittam vobis? Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Quæ ignominia Christo ! quæ injuria ! et tamen hæc comparatio gratiæ computatur.

(1) *Luc.*, 23. — (2) *Ibid.* — (3) *Matth.*, 27. — (4) *Marc.*, 15.

2° *Principes sacerdotum et seniores persuaserunt populo ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent* (1). Deliberare hic scelus est : quid Barabbam Christo præferre ? et tamen *exclamavit universa turba simul dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam* (2). Hoc mundi de Christo judicium. Sic plerumque cum Deo agitur, cui vilis creatura æquatur aut præfertur.

3° *Pilatus* iterum *ait illis : Quid ergo* vultis *faciam de Jesu, qui dicitur Christus* (3) ? *Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis Præses : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamant: Crucifigatur. Pilatus volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam.* (4)

Colloquium. — Confitere quod sæpius Barabbam Christo prætulisti : absit a te talis comparatio in æternum.

IV. MEDITATIO.

DE TRINA PETRI NEGATIONE.

Supplementum I. Meditationis. Præludia de more tria.

Punctum I. — Præmissa negationi, et ad illam disponentia.

1° Christus Petro prædixerat negationem trinam : *Antequam gallus cantet, ter me negabis* (5). Et Petrus diserte contradixerat : *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

2° Christus in horto monuerat eum non semel, *vigilate et orate* (6) ; et ipse dormiens *non poterat una hora vigilare cum ipso.* (7)

3° Paulo post audacior præsumpserat injussus *percutere gladio* (8), et Malchi auriculam absciderat.

4° Statim autem, Jesu capto et abducto, cum aliis

(1) *Matth.*, 27. — (2) *Luc.*, 23. — (3) *Matth.*, 27. — (4) *Marc.*, 15. — (5) *Matth.*, 26. — (6) *Ibid.* — (7) *Ibid.* — (8) *Ibid.*

fugerat; sed ad se reversus, *sequebatur* ex amore, sed *a longe* (1), ex timore et tepore; unde mansit *foris in atrio* cum ministris, *stans et calefaciens se.* Hæc omnia disposuerunt ad lapsum, *et mirum* si in illis non peccavit graviter.

Punctum II. — Triplex negatio.

1° *Accessit ad Petrum una ancilla, dicens* : *Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens* : *Nescio quid dicis.*

2° *Vidit eum ancilla alia, et ait* : *Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento* : *Quia non novi hominem.*

3° *Qui stabant dicebant Petro* : *Et tu ex illis es, nam et Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, et jurare* : *Quia nescio hominem istum.* Sunt *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (2).

Petrus inter discipulos Christum confessus est, *Filium Dei vivi* (3); hic inter malos, nequidem *hominem* confitetur. Post primam negationem exierat foras ante atrium, et primo galli cantu admonitus recedere debebat; sed rediit, in occasione permanens iterum ac tertio negavit et quidem cum juramento et anathemate.

Punctum III. — Pœnitentia Petri post negationem.

1° *Et continuo* (post tertiam negationem) *gallus cantavit.* (4)

2° *Conversus Dominus respexit Petrum* (5) oculis misericordiæ suæ.

3° *Recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus* : *Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis.* (6)

4° *Et egressus foras, flevit amare* (7). *Cœpit flere* (8), quia flevit cunctis diebus vitæ suæ.

Petrus statim a lapsu gallicinio admonitus, et as-

(1) *Matth.*, 26. — (2) *Tit.*, 1. — (3) *Matth.*, 16. — (4) *Ibid.*, 26. — (5) *Luc.*, 22. — (6) *Marc.*, 14. — (7) *Luc.*, 23. — (8) *Marc.*, 14.

pectu Domini motus, et recordatus verbi ejus, egressus est foras, funestam occasionem fugiens, et pœnitendi locum quærens. Et cœpit flere, et flevit amare, et flevit quotidie, ita ut lacrymæ excavarent genas ejus.

Colloquium. — Pete similem pœnitentiam : qui secucutus es errantem, sequere pœnitentem.

Legatur Passio Christi ex Evangeliis; et continuabitur ex Gaudier. Ex Imitatione Christi, lib. III, c. 10, quod spreto mundo dulce est servire Deo.

XXV. CONSIDERATIO.

DE FUNCTIONIBUS SACRIS ERGA PROXIMOS A SOCIETATE EXERCENDIS.

Tres saltem Considerationes fieri possunt, et debent; omissis aliis, de Confessionibus audiendis, de Concionibus habendis, de Missionibus obeundis, percurrendo Regulas pro singulis in Codice præscriptas, quæ vix quidquam desiderari sinunt.

1° Pro Confessionibus audiendis legantur et expendantur ex Regulis Sacerdotum, ab octava ad vigesimam octavam, adeoque viginti, omnes ad hoc sacrum ministerium pertinentes, quæ omnia fere attingunt ad illud cum fructu exercendum conducentia.

2° Pro Concionibus habentur Regulæ Concionatorum viginti quatuor, quæ summa cum brevitate et prudentia præscribunt ea fere omnia quæ eximios Concionatores formare, et uberem Concionum fructum procurare queant. Adeoque morose legendæ, intime penetrandæ, et accurate sunt observandæ.

3° Pro Missionibus speciales Regulæ habentur viginti septem, in quibus omnes fere Missionum partes et circumstantiæ attinguntur et Missionarii instruuntur, atque ad admirabilem Missionum fructum diriguntur.

Potest et singulis addi aliqua methodus functiones illas obeundi, et proponi pro singulis exempla Christi, Apostolorum, aliorumve Sanctorum qui illas functiones cum dignitate et fructu obierunt: ut sanctus Joannes Chrysostomus et sanctus Petrus Chrysologus, pro Concionibus; sanctus Vincentius Ferrerius, sanctus Franciscus Xaverius et sanctus Joannes Franciscus Regis, pro Missionibus.

DIES VIGESIMUS SEXTUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ QUARTUS.

TORMENTA CHRISTI IN PRÆTORIO.

A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, neque decor. (*Is.*, I.)

I. MEDITATIO.

FLAGELLATIO.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus nudus columnæ alligatus inter tortores.
Præludium III. — Pete Christo compati, et Dei flagella ita excipere.

PUNCTUM I. — Supplicii ignominia.

1° Pilatus, multis frustra tentatis ut Jesum supplicio eriperet, ejus accusatoribus iterum convocatis, denuo testatur *se nullam mortis causam in eo invenire.* (1) Unde concludit : *Corripiam ergo illum, et dimittam,* ut sic satisfaceret eis, et ejus vitæ parceret. Sic politici, Deo et mundo placere volentes, innocentes opprimunt, vel opprimi sinunt. Absit hoc a te.

2° *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.* (2) Condemnat virum gravem, agnitum innocentem, turpi, servili, crudeli supplicio, ut adversarios invidos mitiget, idque illi gratiæ loco computat. Quid sentiebas de hoc, bone Jesu? quid sentiet quævis æquus rerum æstimator? sed quid verus tui amator?

3° Traditur tortoribus, ab eis nudatur, et manibus vinctis columnæ alligatur, spectantibus et irridentibus procaciter militibus. Quis pudor, quæ confusio, castissime Jesu! His tamen omnibus plane acquiescit. *Ego autem in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper* (3). An et tu sic paratus es?

(1) *Luc.*, 23. — (2) *Joann.*, 19. — (3) *Ps.* 37.

PUNCTUM II. — Crudelitas supplicii æstimari potest ex his capitibus:

1° A tortorum quatuor certatim sibi succedentium numero, robore, immanitate, odio in Judæos et Regem.

2° Ex instrumentorum, seu flagellorum diversitate, pondere, aculeis ad tundendum et pungendum aptis.

3° Ex jussu Pilati Judæos movere volentis, ex instigatione diaboli, et mutua irritatione.

4° Ex delicatissimi corporis tenera complexione, sudore sanguineo, vigilia, et nocturnis vexationibus exhausti.

5° Ex silentio et mansuetudine patientis, qua tortores etiam exacerbabantur.

6° Ex plagarum numero, quæ perhibentur ascendisse ad quinque aut sex millia.

7° Ex fine a Deo et a Christo intento, satisfaciendi abunde pro omnibus et singulis omnium hominum peccatis.

Hinc *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor, et plaga tumens.* (1)

Huc sensus omnes applica, intuere toto corpore laniatum; vide sanguinem undique profluentem; audi strepitum ictuum, clamorem tortorum. Quin et silentium Christi loquitur tibi. Senti aculeos virgarum, et funium ictus, vibices, vulnera; terram sanguine perfusam exosculare; collige sparsa cutis et carnium fragmenta; odora et gusta has Christi epulas, odorem suavitatis in cœlum efferentes.

Et hæc omnia, Domine, pateris pro me, et pro me peccatore, imo vero etiam a me.

PUNCTUM III. — Eximiæ virtutes patientis imitandæ; juxta illud : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* (2)

(1) *Is.*, 1. — (2) *I Petr.*, 2.

1° Ardens amor Dei, et nostri. Quia *multa flagella peccatoris.* (1)

2° Insignis humilitas in servili supplicio. *Ego autem sum vermis, et non homo.* (2)

3° Invicta fortitudo et patientia. Tanquam gigas imperterritus et rupes immota stetit.

4° Mansuetudo. *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* (3)

5° Silentium mirabile et eloquens, calumniis et plagis appetitus silentium detulit triumphale.

6° Læta voluntatis suæ cum divina conformatio. *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* (4)

Has omnes et singulas virtutes æmulare, et a Christo flagellato pete in colloquio.

II. MEDITATIO.

CORONATIO ET ADORATIO.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Repræsentatio rei.
Præludium III. — Fames opprobriorum.

PUNCTUM I. — Parum fuit Christo communia et ordinaria pati.

1° Ut expiaret et refrænaret intemperans studium excogitandi novos modos cupiditatibus indulgendi, voluit novos modos excogitari cruciandi sui.

2° Hos dæmon militibus suggessit; illi statim usurparunt, ipsum probrose simul et crudeliter excruciandi; quasi quidquid illis liberet etiam liceret, ad quod *totam convocant cohortem* (5), ut ludibrium sit insignius; imo hæc divina sapientia ordinat ad suam gloriam.

3° Quid tu ad hæc? mirare Dei consilium, Christo gratias age, et quære studiose novos modos illi placendi, cum ipso et pro ipso patiendi.

(1) *Ps.* 31. — (2) *Ibid.*, 21. — (3) *I Petr.*, 2. — (4) *Ps.* 29. — (5) *Marc.*, 15.

PUNCTUM II. — Quid ergo invenerunt? quid fecerunt milites præsidis?

1° *Suscipientes Jesum in prætorium* (1), exutum propriis vestibus, indutum chlamyde coccinea, instar purpuræ regiæ. Quo pudoris et doloris sensu! Hic peccata tua induit et in se suscepit; indue tu ejus insignia.

2° *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus* (2), in contumeliam et derisionem regni affectati : spinis per vim in cerebrum usque adactis. Quo doloris sensu, quanto sanguinis in os, oculos, capillos et barbam effluvio! siccine gloria et honore conorandus, ignominia et dolore coronatur? « Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum. » (*S. Bernard.*)

3° *Et arundinem in dextra ejus* (3), pro joculari sceptro, tanquam regni inanis : quod tamen accepit, et constanter tenuit. Sic Deo et Christo ejus per omnia ab impiis illuditur.

PUNCTUM III. — Ad irrisoria insignia addunt ludicram et crudelem adorationem.

1° *Genu flexo ante eum* (sedere jussum), *illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum.* Sic adorant impii, sacrilegi, hypocritæ, quorum insultat religio, non sacrificat. Adora tu in spiritu et veritate, corde pleno et non diviso, utroque genu posito.

2° *Et dabant ei alapas ; et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus* (4). Quid his addi potest ad contumeliam et barbariem? Et sic triumphat Christi humilitas, mansuetudo.

3° Adora tu illum, sincero corde, ut Regem tuum, Regem angelorum atque hominum ; et, si qua potes, has contumelias repara et compensa.

(1) *Matth.*, 27. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.* — (4) *Joann.*, 19; *Matth.*, 27.

Colloquium. — Offer te ad similia pro ejus obsequio et exemplo perferenda.

III. MEDITATIO.

EXHIBITIO CHRISTI POPULO FACTA.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Jesus fœde deformatus.
Præludium III. — Pete compassionem.

Punctum I. — Pilatus videns Jesum sic deformatum (1), putavit ejus aspectu furorem Judæorum mitigandum.

1° *Exivit ergo iterum foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.* Quæ verba innuebant eum esse illæsum, et tendebant ad illos repentino ejus aspectu commovendos.

2° *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum* (2). Accede ad hoc spectaculum, intende oculos in eum, et intuere sanguine manantem a capite ad calcem.

3° Dicit eis Pilatus : *Ecce homo.* Expende diversos horum verborum sensus, et concipe affectus inde sponte manantes. Cogita dicta Judæis a Pilato, tibi a Patre æterno, et a te ipsi Patri : aspice in faciem Christi tui.

Punctum II. — Fefellit Pilatum exspectatio sua : pro misericordia odium et invidiam excivit.

1° *Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant : Crucifige eum* (3). Parum fuit illis videre eum tam indigne, tam inhumaniter habitum, nisi et crucifixum et in cruce morientem viderent.

2° *Dixit eis Pilatus : Accipite eum vos et crucifigite, ego enim non invenio in eo causam* (4) : novum innocentiæ Christi testimonium, judicis simul iniquitatem et ignaviam evincentis.

(1) *Joann.*, 19. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.*

3° *Nos,* inquiunt, *legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit* (1). Hæc igitur causa mortis ejus. *Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit;* ne scilicet non tantum virum innocentem, sed etiam Filium Dei, et Deum condemnaret. Unde *iterum ingressus prætorium, interrogat Jesum : Unde es tu?* sed frustra, nam *responsum non dedit ei,* nisi ad retundendam ejus superbiam : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Quod Pilatum pupugit, ne sibi de potestate sua et innocentia blandiretur, etsi tradentium peccatum majus esset.

PUNCTUM III. — *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum* (2), sed sine suo damno et periculo.

1° Quod adversantes Judæi clamabant : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.*

2° Qua comminatione perculsus, accepta aqua, lavit manus suas, dicens : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis* (3). Frustra manus lavat, qui conscientiam inquinat.

3° *Et respondit universus populus, dicens : Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (4). Blasphemia, imprecatio, exaudita sive in bonum, sive in malum; in bonum credentibus, in malum incredulis. Tu vero idem tibi religiose imprime in colloquio : Sanguis tuus, Domine, super nos et super opera nostra.

Eadem Lectio continuabitur; de Imitatione Christi, lib. III, cap. 14, de occultis Dei judiciis considerandis, ne extollamur nimis; et cap. 15, qualiter standum sit et dicendum in omni re desiderabili.

(1) *Joann.*, 19. — (2) *Ibid.* — (3) *Matth.*, 27. — (4) *Ibid.*

XXVI. CONSIDERATIO.

DE TEMPORIS USU, ORDINE DIURNO ET NEGOTIIS.

I. — Tempore nihil pretiosius, ex cujus usu, bono vel malo, pendet felix aut infelix æternitas.

1° Nihil tamen labitur celerius, nihil teritur facilius, nihil difficilius recuperatur.

2° Constat autem tempus minimis particulis sibi succedentibus, quarum solum instans præsens est in nostra potestate, quod ipsum labitur et nobis elabitur.

3° Quanti ergo refert bene illud collocare! ad quod necesse est illud prævie distribuere, et singulas ejus particulas suis usibus destinare, ne vacuæ frustra effluant.

4° Cogita quanta pars vitæ tuæ defectu prævisionis et prævie destinationis inaniter effluxerit.

II. — Constat æternam quam speramus beatitudinem, ad quam tendimus, ex vitæ præsentis sanctitate pendere: hanc autem sanctitatem ex ordine vitæ nostræ, quæ sanctior erit quo fuerit melius ordinata: ordinem autem totius vitæ pendere ex ordine diurno, et horarum ex quibus constat distributione. Maximi ergo momenti est, totum diem et singulas ejus horas recte ordinare; juxta illud: *Non defrauderis a die bono, et particula doni boni non te prætereat.* (Eccli. 14.)

III. — Circa actiones nostras diurnas, quæ tempus occupare debent, tria ordinanda sunt: 1° natura singularum, nempe quid agere aut vitare debeamus; 2° tempus, seu quando et quamdiu singulis vacandum: 3° modus, nempe qua methodo et quo spiritu fieri debeant, ut bonæ sint et Deo placitæ.

Rursus tria sunt genera actionum facienda: 1° religionis et pietatis exercitia; 2° negotia et officia cujusque pro suo statu; 3° necessaria vitæ adjumenta. Prima sunt necessario, indispensabiliter et integre facienda; secunda ex ratione prudenter et moderate agenda; tertia ex sola necessitate assumenda. Singulis certum tempus assignandum.

IV. — Exercitiis spiritualibus, et naturæ adjumentis, ut cibo, somno, recreationi, regulis communibus, occupationibus autem cuique propriis, particularibus regulis, suum cuique tempus est assignatum, et singulæ ordinatæ. Si quæ autem non sunt, eæ ordinandæ sunt. Hoc autem nostris sacerdotibus suo gradu, professi aut coadjutoris, donatis generatim præscribit sanctus Fundator, ut post debitas erga proximum functiones, et præparationem ad eas necessariam, si quod tempus superesset, id totum orationi tribuerent.

V. — Ordo diurnus diversus esse debet pro diversis officiis, quæ diversas functiones habent, ut docendi et studendi: item diversus pro diebus festis et profestis.

VI. — Ordo semel præscriptus constanter est sequendus et servandus, nec dimittendus ex levitate vel tædio humanove respectu: nec tamen ei serviliter adhærendum, si quando aliud postulat necessitas vel charitas. Si vero in aliquo deficit, post maturam considerationem corrigendus est.

VII. — Modus autem singulas actiones recte faciendi requirit duo; nempe methodum qua formentur exterius, et spiritum quo interius animentur. Methodum plerarumque præscribunt hæ considerationes: spiritus vero consistit, primo, in intentione recta et pura, finis cujusque actionis proprii relative ad gloriam Dei, quæ initio operis diligenter efformanda est; et si longius fuerit in decursu sæpius excitanda; unde accedet operi pretium inæstimabile; secundo, in fervore quo agitur digne, Deo præsente et spectante, ad imitationem Christi et sanctorum. *In omnibus autem operibus tuis præcellens esto* (1), et ad hoc cura ut actiones tuæ omnes fiant, 1° in Deo, hoc est in gratia et in charitate; 2° pro Deo, et ad gloriam ejus; 3° coram Deo, in illius præsentia; 4° cum Deo, ipsi cooperando, et Christum imitando.

VIII. — Circa negotia, hæc adde: 1° in illis serva conscientiam, sobrietatem, diligentiam; 2° non tradas te negotiis, sed commodes; 3° nosce tempus, et suo quodque tempore facito; 4° age quod agis, fuge alienas cogitationes, perturbationem, præcipitationem; 5° sic age quod agendum est, quasi nihil a Deo exspectes: et sic omnia a Deo exspecta, quasi nihil egeris; 6° de negotii successu divinæ voluntati omnino conformare, et acquiesce.

DIES VIGESIMUS SEPTIMUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ QUINTUS.

CRUCIATUS IN MONTE CALVARIÆ.

Non existimavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum, et hunc crucifixum. (I *Corinth.*, 2.)

I. MEDITATIO.

SUPPLICIUM CRUCIS CHRISTI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Repræsentatio sensibilis.
Præludium III. — Petitio scientiæ Crucis.

PUNCTUM I. — Condemnatio.

1° His auditis, nempe imprecatione furentis populi, Pilatus *eduxit Jesum foras, et sedit pro tribunali. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dixit Judæis: Ecce Rex vester;* irrisorie, an serio? *Illi* exacerbati *clamant: Tolle, tolle, crucifige eum.* (2)

(1) *Eccli.*, 33. — (2) *Joann.*, 19.

2° *Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt : Non habemus Regem nisi Cæsarem* (1). Quid sentiebat Christus de tali interrogatione et responsione ? et quid de his sentiendum? Est impletio prophetiæ Danielis : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* (2)

3° *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur* (3), *adjudicavit fieri petitionem eorum. Tradidit eum voluntati eorum ut crucifigeretur* (4). Sententia in omni parte injusta, ignava, crudelis : nihilominus aquiescit illi plene Christus, tanquam a Patre suo prolatæ.

PUNCTUM II. — Bajulatio crucis.

1° *Postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent* (5). Hoc factum, ut ab omnibus agnosceretur quis esset, quod absque novo dolore et probro fieri non potuit.

2° *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum* (6). Oblatam sibi crucem avidius ac lætius amplexus est, quam Andræas, quamvis per se gravem, et peccatis nostris adhuc aggravatam, libens in humeros sustulit ac suscepit, et quamvis fatiscente corpore, constanter portavit. Sed ne deficeret in via, et moreretur ante crucifixionem, *angariaverunt prætereuntem Simonem Cyrenæum, ut tolleret crucem ejus post ipsum* (7) : qui etsi coactus, tulit tamen, et in præmium gratiam illuminationis accepit cum filiis Alexandro et Rufo.

3° *Ducebantur autem duo nequam cum eo, ut interficerentur* (8); ad augendam ejus infamiam.

4° *Sequebatur autem eum multa turba populi, et mu-*

(1) *Joann.*, 19. — (2) *Dan.*, 9. — (3) *Joann.*, 19. — (4) *Luc.*, 23. — (5) *Matth.*, 27. — (6) *Joann.*, 19. — (7) *Marc.*, 15. — (8) *Luc.*, 23.

lierum, quæ plangebant et lamentabantur eum (1). Quam diverso sensu et affectu! nemo autem crucem suam libens post Christum portabat, aut illum in ea portanda juvabat. Recole quod alias dicebat ad omnes. *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam* (2). Audi quid nunc dicat ad sibi compatientes: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (3)? et hoc ipsum tibi dictum puta.

Punctum III. — Crucifixio.

1° Oblatum myrrhatum vinum cum felle mistum (4) cum gustasset, et respuisset (5), nudatur a carnificibus, detractis violenter vestibus carni adhærentibus ob plagas, et pondus crucis. Quo dolore, quis capiat?

2° Nudus in cruce per vim extenditur, pedibus, manibusque pertractis ad loca clavis destinata. Quo tormento!

3° Tribus quatuorve clavis trabalibus pedes, manusque fodiuntur, et affiguntur, malleo alte adactis. Quo totius corporis sensu, quis exprimat?

Ad hæc Christus, tanquam *Agnus qui portatur ad victimam, obmutescit* (6) *et non aperit os suum* (7) imo, quantum potest et decet, concurrit, *factus obediens usque ad crucem* (8). Seque ex animo offert ad mortem crucis, et ad consummandum in illo ligno tanquam in altari sacrificium. Offer te ipsum cum illo.

Punctum IV. — Crucis plantatio.

1° Crux in altum elevatur, non sine multiplici motu et succussu, et dolore vehementi.

2° Erecta in paratam fossam dejicitur cum ingenti

(1) *Luc.*, 23. — (2) *Matth.*, 16. — (3) *Luc.*, 23. — (4) *Matth.*, 27. — (5) *Marc.*, 15. — (6) *Ps.* 38 *et* 11. — (7) *Is.*, 53. — (8) *Philipp.*, 2.

totius corporis motu, et omnium vulnerum recrudescentium ruptione et augmento.

3° Sic manet solis pedibus manibusque suspensus, eis toto corpore incumbens, copioso undique sanguine manans, inter duos latrones medius : crudeli proinde, infamique supplicio cruciatus. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* (1)

Colloquium.— Pete unice scire Jesum, et hunc crucifixum.

II. MEDITATIO.

CHRISTUS IN CRUCE MORIENS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Contemplatio scenæ Calvariæ.
Præludium III. — *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* (2)

Punctum I. — Circumstantiæ ignominiam adaugentes.

1° Societas latronum. Et *crucifigunt cum eo duos latrones, unum a dextris et alium a sinistris. Medium autem Jesum* (3), tanquam pessimum. *Et impleta est Scriptura, quæ dicit*: *Et cum iniquis reputatus est.* (4)

2° Titulus cruci superpositus. *Et imposuerunt super caput ejus causam illius scriptam* : *Hic est Jesus Nazarenus, Rex Judæorum* (5). Titulus nascenti a magis honorifice datus, morienti a Pilato irrisorie datus, a Judæis abnegatus et impugnatus; sed illis invitis a Spiritu Sancto confirmatus, dicente Pilato : *Quod scripsi, scripsi.* (6)

3° Vestium partitio et sortitio. Nihil habet præter vestes, eas vidit in manibus tortorum, quos illis indui ipsi ignominiosissimum erat. Et crucifigentes eum, *diviserunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes,*

(1) *Thren.*, 1.—(2) *Galat.*, 6.—(3) *Marc.*, 15.— (4) *Joann.*, 19. — (5) *Matth.*, 27. — (6) *Marc.*, 15 ; *Matth.*, 27.

unicuique militi partem, et super tunicam inconsutilem miserunt sortem (1), ut Scriptura impleretur : *Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem.* (2)

4° Adde locum, qui erat *prope civitatem* (3) Jerusalem, mons reorum supplicio destinatus, a calvaria Adæ sic dictus.

5° Tempus, diem anni celeberrimum *Parasceven*, Pascha : *horam quasi sextam*, id est meridianam. (4)

6° Cœtum, non solum ex omni Judæa, sed etiam ex omni gente, quæ sub cœlo est, conflatum.

Quid ultra ad ignominiam addi potest ?

Punctum II. — Circumstantiæ proprie augentes dolorem.

1° Quidquid videt et aspicit. Circa crucem, milites, tortores, Judæos eorumque Pontifices et Seniores, innumeram spectantium multitudinem; videt gestientes, moventes capita, irridentes, exprobrantes, insultantes. Juxta crucem, stantes Matrem et Discipulum quem diligebat, et Mariam Magdalenam ; reliquos notos et amicos a longe spectantes. Omnes mœstitiam, dolorem mirifice adaugebant.

2° Sed quid audit? singultus et gemitus paucorum, scommata, irrisiones et blasphemias multorum, imo omnium inimicorum; quæ ad septem capita revocari possunt. Nemo vel scelestissimus tam indigne, tam inhumaniter unquam habitus est. Vere *opprobium hominum, et abjectio plebis.* (5)

3° Sed quid respondet? septem verba charitatem et mansuetudinem spirantia, quæ totidem sunt oracula mysteriis plena ; quæ percurre et cum septem illis com-

(1) *Matth.*, 27 ; *Joann.*, 19. — (2) *Ps.* 21. — (3) *Joann.*, 19. — (4) *Marc.*, 15. — (5) *Ps.* 21.

pone. Ex his vere Filium Dei agnosce, teque vicissim verum ejus discipulum ostende.

Punctum III. — Dolores et mors.

1° Cogita dolorum ejus acerbitatem, continuitatem, diuturnitatem. Exterius patitur in toto corpore, in singulis membris ac sensibus, in olfactu per fœtorem loci, in gustu per sitim, per fel et acetum, quo potatur in extremis. Interius in omnibus et singulis animæ potentiis. Quis hunc dolorem æstimare queat? conjice ex indignissimis opprobriis et ex querela ad Patrem.

2° Potest uno verbo, solo nutu et aspectu adversarios confundere et perdere, se ipsum supplicio eripere, de ipsis triumphare, idque videtur ad suam et Patris gloriam pertinere, et non vult, quantumvis provocatus, de cruce descendere. Disce hinc in cruce perseverare, juxta tertium humilitatis modum.

3° Tribus horis hæc patitur, passurus diutius usque ad finem mundi, si Patri placeret. Et tandem ubi dixit: *Consummatum est, inclinato capite* (1), ex obedientia moritur. Et *exclamans voce magna: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (2), exspirat, et verificat illud dictum suum: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso.* (3)

Colloquium. — Domine Jesu! amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori.

III. MEDITATIO.

MORTEM CHRISTI CONSECUTA.

Præludia congrua singulis Punctis.

Punctum I. — Prodigia, et varii effectus et affectus.

1° Sol obscuratus est: *a sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, et ecce velum templi scissum est in duas partes,*

(1) *Luc.*, 23. — (2) *Joann.*, 19. — (3) *Ibid.*, 10.

a summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (1). Cogita mysteria.

2° *Centurio autem, et qui cum eo erant* (2), audito clamore exspirantis, et visis signis quæ fiebant, *timuerunt valde, et glorificaverunt Deum, dicentes : Vere hic homo justus et Filius Dei erat* (3). *Et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* compuncti corde.

3° *Stabant autem omnes noti ejus a longe,* nempe Discipuli, *et mulieres quæ secutæ erant eum a Galilæa hæc videntes* (4), nempe Maria Magdalena, Maria Jacobi, et Joseph Mater, et Salome.

Adjunge te illis omnibus, intra in eosdem affectus ; sed accede propius, et prope crucem jugiter persta.

Punctum II. — Apertio lateris.

1° Crurifragio. Mortem acceleraturi venerunt tortores : sed eorum opinione et voto citius mortuus prævenit sævitiam ; ut sacrificium per se prius consummaret, et acceleraret redemptionem.

2° Sed ut adhuc sævirent in mortuum, *unus militum lancea latus ejus aperuit* (5), non sine mysterio. Per hoc enim aperta nobis ad cor janua est, et mors ac resurrectio ejus asserta, et Scripturæ prophetia impleta. (6)

3° *Et continuo exivit sanguis et aqua,* opportuna sanctificationis et salutis remedia. Porro aqua succedens ostendit totum sanguinem exhaustum. Collige pretiosas guttas ne frustra effluant.

Punctum III. — Depositio de cruce et sepultura.

1° Josephus ab Arimathæa, nobilis decurio, audacter accedit ad Pilatum, et petit corpus Jesu (7) ; et, centurione mortem attestante, facile obtinuit. Huic adjun-

(1) *Matth.*, 27. — (2) *Ibid.* — (3) *Luc.*, 23. — (4) *Ibid.* — (5) *Joann.*, 19. — (6) *Ps.* 33. — (7) *Matth.*, 27.

git se Nicodemus, unus ex senatoribus, et ipse discipulus Jesu occultus (1). Audaces facit mors Christi prius timidos. Corpus de cruce deponunt reverenter, copiosis aromatibus condiunt, sindone munda involvunt. Quo affectu! quo fletu! quibus osculis!

2° *Posuit illud* Joseph *in monumento suo novo, quod exciderat de petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti* (2); ut quod vivo præstare non potuerant, mortuo quodammodo compensarent. Et hæc omnia juvant ad astruendam resurrectionis veritatem, et docendum quomodo corpus Christi recipias et recondas.

3° Interim cogita quis dolor, quis luctus, quæ solitudo Virginis Matris, Discipulorum, Magdalenæ, mulierum: luge tu quoque cum illis.

4° Judæi, ad amovendam fraudem, annuente Pilato, *munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.* (3)

Colloquium. — Hora mortis meus flatus intret, Jesu, tuum latus: in hac fossa me reconde, ibi meum cor absconde. (*S. Bern.*)

Legi potest lib. II de Imitatione Christi, cap. 12, de regia via sanctæ Crucis; et cap. 11, de paucitate amatorum crucis Christi. Item Regulæ de victu temperando, ex Libello Exercitiorum.

XXVII. CONSIDERATIO.

DE REFECTIONE CORPORIS.

Lege Summarii Regulam trigesimam et Regulas de victu temperando, ex Hebdomada tertia Libri Exercitiorum spiritualium.

I. — Ante comestionem præpara animam tuam ad illam actionem animalem.

1° Recole illa Apostoli verba: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* (4) Et propone tibi finem huic ac-

(1) *Joann.*, 19. — (2) *Matth.*, 27. — (3) *Ibid.* — (4) *I Cor.*, 10.

tioni proprium ; scilicet naturæ necessitati satisfacere, et vires corporis ad obsequium Dei reparare.

2° Determina quantitatem cibi et potus sumendam, quam nunquam excedas.

3° Lavando manus, cogita puritatem necessariam ad convivium Christi, et ad cœnam vitæ æternæ.

4° Præmitte benedictionem solitam cum reverentia et devotione, perpensis singulis vocibus ; cogita quid faciet Deus cum Sanctis suis recumbentibus, quando transiens ministrabit illis.

5° Mensæ accumbens, ante comestionem animum tantisper collige, et vide ne vagentur oculi.

II. — Jam in refectione corporis.

1° Omnino curandum est ut temperantia, modestia et decentia servetur in omnibus ; juxta Regulam trigesimam Summar.i.

2° Cave ne animus effundatur super cibos, sed semper domineris appetitui ; et mensuram cibi, et sumendi modum una tempera.

3° Fuge inordinatam comestionem, in qua peccari potest multipliciter ; tum ex parte cibi (sicut et potus , in substantia, quantitate, qualitate ; tum ex parte modi, si sumatur extra locum et tempus, cum aviditate, festinatione, voluptate.

4° Junge semper aliquam abstinentiam, vincendi tui causa : hæc autem minus circa panem, magis circa pulmenta, et quidem sapidiora, maxime autem circa potum attendi et servari debet, mensuram tibi convenientem regulariter non excedendo.

III. — Dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio tribuatur, ut dicit Regula : quod fit ordinarie attendendo lectioni fieri solitæ super mensam ; vel, si desit, his et aliis piis considerationibus.

1° Christi cum suis Discipulis comedentis, attendendo ejus edendi, bibendi, loquendi, aspiciendi modum ad imitandum.

2° Animam pascendo cogitatione vilitatis cibi materialis, excellentiæ cibi spiritualis, divinæ liberalitatis, propriæ indignitatis, item fellis et aceti Christi crucifixi, cibi pauperum, pœnitentium, damnatorum. Sic, abstracta mente, cibus ipse et vescendi delectatio parum sentietur, et discemus facilius victum moderari. Ad Martyrologium gratias age de gloria Sanctorum, confortare in tuo levi martyrio. Patronum elige in sequentem diem.

IV. — Post mensam, 1° gratias age de multiplici beneficio ; 2° discute hanc actionem, et de defectibus aut excessibus veniam pete ; 3° modeste exi ex triclinio ; 4° nunquam loquere de cibis, multo minus conquerere.

DIES VIGESIMUS OCTAVUS,

TERTIÆ HEBDOMADÆ SEXTUS.

PASSIO CHRISTI IN GENERE.

Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Galat.*, 6.)

I. MEDITATIO.

EX PARABOLA SANCTI BERNARDI. (1)

Præludium I. — Sta ad pedem crucis, et specta tragœdiam in monte Calvariæ peractam.

Præludium II. — Pete nosse et sentire Dei et Christi amorem in te, tuamque in eos ingratitudinem.

PUNCTUM I. — Parabola.

1° Vir nihili et vile mancipium accusatur apud Regem ut proditor, convincitur conspirasse in regem et regnum, declaratur reus læsæ majestatis, capitis damnatur, mox ultimo supplicio afficiendus. Rex jurat scelus atrox sanguine ulciscendum.

2° Rescit hoc princeps filius regis unicus, patris deliciæ, et hæres designatus; servi sui, licet immerentis, amore captus, ipsum salvare aggreditur; patrem adit, instanter ab eo petit unum aliquid sibi concedi. Promittit rex sub juramento, se illi petenti quidquid potuerit concessurum. Tunc princeps postulat donari sibi vitam servi sui; et ut satisfiat juramento regis et vindictæ publicæ, offert se in mortem pro servo suo. Rex utrinque juramento suo constrictus, ægre consentit, et duram legem acceptat.

2° Urget denuo princeps, morti proximus, et unum

(1) *Serm. 4 de Nat. Dom.*

per amorem paternum sibi concedi flagitat, nimirum ut servus ille loco sui adoptetur, et hæres regni instituatur. Quod rex charissimi filii votis et lacrymis denegare non potest.

4° Tunc princeps lætus prodit ad supplicium. Servo nunciari jubet se mox pro ipso moriturum, ut illi vitam, salutem, regis gratiam, et coronam asserat; unumque petere, ut sui jugiter meminerit, seque amantem amet.

5° Ille tunc ludens cum æqualibus, nec ludum dimittere, nec credere vult, nec inquirere nuncium, imo principem ipsum verbis lacessit. Mox liber dimissus e custodia, audiens tumultum cum aliis ad spectaculum accurrit, ac primum frigide spectat; mox, lictoribus se adjungens, principem verbis et plagis onerat, eumque tandem manu sua trucidat.

Quis tale quid audierit a seculo? quis simile quid sibi finxit unquam? Hoc plane incredibile, nec verisimile est. Sed fingamus ita esse : Quis principis illius bonitatem et charitatem in servum satis admiretur? Quis regis clementiam et nimiam liberalitatem satis extollat? sed quis indigni illius nebulonis adversus eos ingratitudinem crudelitatemque satis execretur? quid tu de illo sentires?

Punctum II. — Applicatio parabolæ. Omnem fictionem istam longe excedit simplex veritas. Quod nemo hominum pro homine facere vellet, hoc ipsum Deus ipse pro quolibet homine facere dignatus est.

1° Quis ille servus ad regis tribunal delatus? ego ipse sum : delatus non incerta fama, sed factorum evidentia. Ego, convictus et confessus, declaratus sum reus læsæ majestatis divinæ, non in uno, sed in multis innumeris; justissime condemnatus, non temporali supplicio, sed carceri et igni æterno; mox dæmonibus justitiæ

divinæ ministris tradendus, in tartarum detrudendus, nisi pro me unigenitus Dei Filius intercessor et sequester accederet.

2° Ille ipse est princeps Regis regum, Filius unigenitus, *splendor Patris, et figura substantiæ ejus, quem constituit hæredem universorum* (1), qui pro pace, reconciliatione et salute mea interventor exstitit; et cum ex lege justitiæ divinæ sine satisfactione venia obtineri non posset, se ipsum ad satisfaciendum obtulit, et per mortem et crucem suam æternæ morti ereptum in Filium Dei adoptivum et hæredem regni cœlestis me evexit.

3° Ad hoc *humiliavit semetipsum*, imo *exinanivit, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (2), pro me intercedens *cum clamore valido et lacrymis exauditus pro sua reverentia.* (3) Quid ergo retribuam ei *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (4)? O amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori! et si millies moriar, hanc unam mortem tuam nunquam compensabo.

4° Deus Pater, Rex regum, et Dominus dominantium, libere, nulla sponsione aut necessitate adactus, sed pro sua insigni bonitate, et *propter nimiam charitatem qua dilexit nos* (5), licet inimicos, oblatam ab eo satisfactionem acceptavit. Imo *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (6). *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (7) Ultro et sua sponte *posuit in eo iniquitates omnium nostrum* (8) exsolvendas. *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, Filium tradidisti!* (9)

(1) *Hebr.*, 1. — (2) *Philipp.*, 2. — (3) *Hebr.*, 5. — (4) *Ephes.*, 5. (5) *Ibid.*, 2. — (6) *Joann.*, 3. — (7) *Rom.*, 8. — (8) *Is.*, 53. — (9) *Eccles. in Cantic.*

5° Sed quid ego hactenus impendi? piget legere, tædet audire, vix dignor recolere, vix volo credere quæ Deus pro me facere et pati dignatus est. Non modo non compatior illi, sed instar Judæorum patienti convicior, impropero, insulto. *Rursus crucifigo illum* (1) in corde meo per peccatum mortale, vel *ostentui habeo* per veniale deliberatum. Non possum mihi ipsi satis indignari, neque ingratitudinem meam satis detestari : mecum detestentur illam homines et angeli omnes.

Punctum III. — Conclusio. Sed in quo possum gratitudinem ostendere? in tribus maxime.

1° Memoria recolendo passionem ejus et mortem. *Gratiam Fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam* (2). Ah! Domine, *memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* (3)

2° Crucem ejus amando, desiderando, amplectendo, juxta tertium humilitatis modum. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (4)

3° Zelum animarum fovendo et excitando. *Et peribit infirmus in conscientia tua frater, pro quo Christus mortuus est* (5)? absit. *Ego libentissime impendar, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* (6)

Colloquium. — Pete hæc tria a Christo crucifixo, ut fructus passionis ejus.... *Anima Christi,* etc.

(1) *Hebr.*, 6. — (2) *Eccli.*, 29. — (3) *Thren.*, 3. — (4) *Galat.*, 6. (5) *I Cor.*, 8. — (6) *II Ibid.*, 12.

II. MEDITATIO.

DE COMPASSIONE B. V. M. DEI GENITRICIS.

Præludium I. — Beatissima Virgo stans juxta crucem Filii morientis.

Præludium II. — Pete magnitudinem doloris ejus nosse et sentire, eique compati.

PUNCTUM I. — Beata Virgo Maria crudele martyrium in morte Christi Filii sui passa est.

1° Oportuit impleri prophetiam Simeonis senis dicentis Mariæ : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (1). Non corpus, sed animam Matris ; gladius non materialis, sed spiritualis, pertransibit seu penetrabit, et totam dolore implebit ex dolore Filii, adeoque per compassionem, ex ejus passione, eo magis dolorosam, quod mere spiritualem.

2° Ut Christus tota vita passus est interius per præscientiam et exspectationem eorum quæ deinceps passurus erat : ita beatissima ejus Mater tota vita illi compassa est, a tempore illius prophetiæ et deinceps, non solum ob persecutiones et contradictiones continuas vitæ illius, maxime publicæ ; sed etiam ob ignominias et dolores mortis ejus. Uterque enim crucem jugiter in corde gessit, et spinarum ac clavorum punctiones intime sensit.

3° Sed præcipue in hora mortis Domini, ut dolor Christi ad summum gradum pervenit, ita compassio Matris illi respondens et commensurata ultimum magnitudinis et amaritudinis terminum consecuta est ; tum ex recordatione præteritarum passionum, tum ex visione sensuque præsentium, soli cogitationi accedente, et per totam vitam diffusa in unum instans collecta est.

PUNCTUM II. — Dolor compassivus beatæ Virginis Matris fuit inæstimabilis, indicibilis, summus.

(1) *Luc.*, 2.

1° Fuit tenera Mater, valde affectuosa. Longe fuit a visceribus ejus, quod inter crimina Gentilium commemorat Apostolus, quod *sine affectione* fuissent (1) : *Longe sit etiam a servulis ejus,* inquit sanctus Bernardus. Si fuit illa sensibilis bonis et malis omnium hominum, quanto magis solius Christi?

2° Tantus fuit dolor quantus fuit amor, qui fuit summus in Jesum ex infinitis titulis. Amabat enim illum ut filium suum, ut primogenitum, ut unigenitum; ut sibi singularem, sine patre de Spiritu Sancto conceptum, ut natum illæsa virginitate; ut corpore et animo perfectum, ut summe amabilem, sibi simillimum, de se optime meritum : et super hæc omnia Dei Filium, et Deum suum. Fuit igitur amor Mariæ major omni amore naturali, etiam possibili, et omnem quoque amorem supernaturalem incredibiliter excessit.

3° Beata Virgo perfectissime penetrabat, et dignitatem patientis, et circumstantias omnes augentes dolorem et acerbitatem passionis, et per unitatem spiritus et sympathiam quamdam id ipsa sentiebat in se, quod et in Christo Jesu; et hanc ejus cognitionem acuebat amor, illamque in ipsum patientem transformabat. Merito igitur verbum istud Prophetæ ipsi convenit..... *O vos omnes qui pertransitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* (2)

PUNCTUM III. — Sensit igitur beata Virgo Maria omnes et singulos Christi dolores in summo gradu, et sensit dupliciter; directe, ut sic loquar, ab objectis seu instrumentis doloriferis; et reflexe ab ipsis doloribus. Unde clavi et spinæ totidem gladii fuerunt animam ejus transigentes; sed inter alia præcipue sensit :

(1) *Rom.*, 1. — (2) *Thren.*, 1.

1° Omnes et singulas injurias, irrisiones, contumelias, blasphemias Judæorum, militum, latronum, quasi totidem gladios acutos maternum ejus cor petentes, lacerantes, transverberantes. Recense et pondera singula verba.

2° Ipsa etiam septem verba Filii sui, quæ etiam expende, sed maxime tertium illud verbum ad ipsam directum : *Mulier, ecce filius tuus* (1); et ad dilectum Discipulum : *Ecce mater tua.* Qualis commutatio! inquit sanctus Bernardus : *Joannes pro Jesu, discipulus pro magistro, servus pro domino, filius Zebedæi pro Filio Dei, purus homo pro Deo vero. Quomodo tuam affectuosissimam animam non pertransivit hæc auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?*

3° Et super hæc adhuc magis pupugit apertio lateris. De qua idem sanctus Bernardus ad Virginem : *Postquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit et transfixit, quæ a corde Filii tui etiam mortui nequibat avelli.*

Colloquium. — *Eia, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam; sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide. Fac ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut sibi complaceam.* (Eccles.)

Legi possunt Regulæ modestiæ.

Ex imitatione Christi, lib. II, cap. 10, de gratitudine pro gratia Dei; lib. III, cap. 6, de probatione veri amoris; et cap. 8, de vili æstimatione sui in oculis Dei.

(1) *Joann.*, 19.

XXVIII. CONSIDERATIO.

DE RELAXATIONE ANIMI.

I. — Aliqua animi relaxatio hominibus Societatis videtur necessaria, quæ fit per colloquium, post corporis refectionem; sed quia collocutio liberior noxia vel periculosa est, nisi modus et cautio adhibeatur, ut observarunt Ordinum monasticorum Reformatores, curandum ut recreatio sic prosit sanitati, ut minime noceat spiritui.

II. — In quibusdam Societatis Provinciis, laudabilis mos est ut a triclinio eatur ad templum ante recreationem ad opem divinam implorandam. Hanc saltem quisque privatim apud se imploret, ut sic animus recreetur, ut minime dispensetur.

III. — Confer te cum aliis in locum communem recreationi destinatum: cœtus particulares et privata colloquia fuge, ut Regulis contraria et charitati periculosa.

IV. — Memento semper gravitatis et modestiæ religiosæ, ac reverentiæ Fratribus in Christo debitæ; juxta Reg. 29 Summ. quæ dicit: *Loquendum in circumspectione et ædificatione verborum, modestia vultus et maturitate incessus..... omnes sibi Superiores ducendo, etc.*

V. — Recole pariter Reg. 29 communem. *Omnes*, inquit, *demissa voce, ut religiosos decet, loquantur, nullusque cum aliis contendat; sed si qua in re nobis est diversa sententia, rationes modeste afferantur, ut suus veritati sit locus, non ut in ea re superiores videamur.*

VI. — *Cavendum* 1° *ab illo affectu quo alii de aliis nationibus sinistre sentire, et loqui solent.* Regul. 30; 2° a detractione tum nostrorum, tum externorum præsertim Superiorum, quam in sermone tam periculosam nostris diximus ex Patre Claudio; 3° a modo loquendi mundanorum contrario evangelicis, quo laudentur, et magnifiant ea quæ mundus amat et amplectitur.

VII. — Ama tacere, et alios audire; sed cum loquendum est, tene modum, ut neque excessu pecces, neque defectu; sermonem quem minus recte inceperis statim abrumpe; quare dicenda prius ad limam transeant, quam ad linguam. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* (1)

VIII. — Præter vitia linguæ recensita, devita in modo loquendi nimiam festinationem aut tarditatem, et quamcumque affectationem.

IX.— De Deo libenter et frequenter loquere, semper bene et magnifice; de proximo raro, nunquam male; de te, si potes, nec bene, nec male unquam.

X. — Hæc omnia ut serves, collige te frequenter, sicque age cum hominibus, ut Deo et tibi præsens sis, Christum in iis quibuscum agis intuearis, eorumque recreationi et utilitati servias.

VI. — In aditu Sanctissimi Sacramenti hæc omnia discute, et de erratis dole, ac veniam pete.

(1) *Jacob.*, 3.

DIES VIGESIMUS NONUS,

QUARTÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.

DE VITA CHRISTI GLORIOSA.

Surrexit Dominus vere, et apparuit. (*Luc.*, 24.)

I. MEDITATIO.

DE MYSTERIO RESURRECTIONIS CHRISTI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Repræsentatio prodeuntis e sepulcro.
Præludium III. — Pete fidem et gaudium.

PUNCTUM I. — Christus resurrexit, sicut dixit.

1° Non tardat Dominus promissionem suam. Dixerat se tertia die, imo post tres dies, surrecturum (1). Tempus hoc prævenit resurgendo tertia die summo mane, ut suos quamprimum consolaretur, et corpus suum glorificaret ad gloriam Patris. Sta promissis, eaque imple citius quam serius.

2° Anima Christi e Limbo redux rursus subit corpus, illi insolubili vinculo unitur, illudque nova vita eaque gloriosa animat. Ignominiæ passionis succedit gloria, doloribus gaudia, infirmitati potentia. Qualis mutatio! talis olim in te fiet, si ad gloriam resurgas. *Omnes* quippe *resurgemus*, post caput nostrum, *sed non omnes immutabimur* (2) in melius, sicut ipse. Quid est, quod Christus resurrexit, nisi quia prius passus et mortuus est? *Si complantati fuerimus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (3). *Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* (4)

3° Christus redivivus, oculis ac manibus statim in cœ-

(1) *Matth.*, 17; *Marc.*, 16. — (2) *I Cor.*, 15. — (3) *Rom.*, 6. (4) *Job*, 19.

lum sublatis, gratias egit Deo Patri de gloria corporis sui; hancque novam vitam suam obtulit ad gloriam ejus, hominumque salutem. Nam *resurrexit propter* gloriam Patris et *nostram justificationem* (1). Sic et nos prospera æque ac adversa ad gloriam Dei et salutem proximi referamus.

Punctum II. — Christus redivivus, jubente Patre, certatim adoratur

1° Ab Angelis e cœlo delapsis, qui eum Regem suum et universorum agnoscunt et confitentur, dicentes : *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere regnum.* (2)

2° A Patribus e Limbo ereptis, qui, viso corpore et vulnerum cicatricibus, eum Salvatorem suum prædicant, dicentes : *Redemisti nos*, Domine Deus, *in sanguine tuo.* (3)

3° A Sanctis tunc ab ipso et cum ipso suscitatis a morte, quorum monumenta, eo moriente, aperta fuerant, qui et potentiam ejus exaltantes, et hanc vitam suam ad augmentum gloriæ ejus referentes, dicunt : *Fecisti nos Deo nostro regnum.* (4)

Nec hi se extollunt præ aliis ab ipso non suscitatis, uti neque illi his invident; sed inde spem augent dicentes : *Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* (5)

Gratulare Christo mortis victori; et triplici turbæ te adjungens, triumphum ejus orna ; et recole promissum illud : *Unusquisque mercedis et gloriæ particeps erit, prout laborum socius exstiterit.* (6)

Punctum III. — Primum omnium apparuit sanctissimæ Matri, ut pote charissimæ, dignissimæ et meritissimæ. Quali et quanto utriusque gaudio! quis castos amplexus, sermones sanctos, affectus cœlestes, aut ex-

(1) *Rom.*, 4. — (2) *Apoc.*, 5. — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.* — (5) *Job*, 19. — (6) *Libell. Exercit.*

primat, aut capiat? Utrique ex animo gratulabor et gratias Christo agam de prompta et copiosa Virginis Matris consolatione.

Colloquium. — *Regina Cœli, lætare, alleluia;* cum Oratione.

II. MEDITATIO.

DE RESURRECTIONE NOSTRA SPIRITUALI.

Præludium I. — Specta Christum gloria fulgentem.
Præludium II. — Pete *in novitate vitæ ambulare.* (1)

Punctum I. — Resurrectio Christi typus est novæ vitæ nostræ. Hunc ergo imitare.

1° *Resurrexit vere* (2). Non apparuit tantum, ut Samuel.

2° Perfecte, non sedens, ut filius viduæ, non ligatus pedes et manus, sudario tectus, ut Lazarus.

3° Constanter, in perpetuum, non ad tempus, et iterum moriturus, ut alii omnes antea suscitati. Nam *Christus, resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (3). Conclude: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quod obtinebis per primum et secundum humilitatis modum.

Punctum II. — Dotes corporis gloriosi adumbrant qualitates vitæ novæ.

1° Impassibilitas refert tertium modum humilitatis, qui nos divitiis, honoribus, deliciis et omnibus quæ mundus amat et amplectitur, insensibiles et superiores reddit.

2° Subtilitas erit *in quærendo et sapiendo quæ sursum sunt*, et omnia perfectionis impedimenta perrumpendo. *In Domino transgrediar murum.* (4)

3° Agilitatem refert devotio et fervor, nos ad omnem Dei nutum promptos et paratos reddens.

(1) *Rom.*, 4. — (2) *Luc.*, 24. — (3) *Rom.*, 6. — (4) *Ps.* 17.

4° Claritati respondet copia luminis spiritualis, præsertim practici, ex oratione et communicatione cum Deo hauriendi. Ex his agnosces an spiritualiter surrexeris.

PUNCTUM III. — Non tantum *surrexit vere*, sed etiam *apparuit manifeste.*

1° *Præbuit se ipsum vivum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, loquens, convescens, et palpandum se præbens* (1); in cœnaculo, in via, in littore, in monte.

2° Sic et tu, si vere consurrexisti cum Christo, manifesta te ipsum multipliciter, certo, constanter, in omni conservatione tua: sin minus, suspecta est resurrectio tua.

3° Hoc debes Deo ad ejus gloriam; proximo ad ejus ædificationem; tibi ipsi ad consolationem et perseverantiam in bono.

COLLOQUIUM.—Pete instanter a Christo hanc tui perfectam renovationem.

III. MEDITATIO.

APPARITIO DISCIPULIS EUNTIBUS IN EMMAUS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Repræsentatio ambulantium.
Præludium III. — Petitio gratiæ.

PUNCTUM I. — Christus errantibus Discipulis succurrit.

1° Ipso Resurrectionis die, sub vesperam, duo ex Discipulis (2), audita mulierum de visis Angeli et Domini resurrectione, nec non Petri et Joannis de sepulcro vacuo relatione, ex tædio, solatii causa ibant in castellum vicinum nomine Emmaus.

2° Tristes inter se de Domino loquebantur. Ignotus adjungit se illis peregrini specie.

(1) *Act.*, 1. — (2) *Luc.*, 24.

3° Insinuat se, quærens de quo loquantur, et quæ tristitiæ causa: elicit quid de se sentiant ; *De Jesu Nazareno*, inquiunt, *qui fuit Vir Propheta, potens opere et sermone coram Deo et omni populo, et quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes in damnationem mortis* (1). Cogit eos occultum vulnus detegere : *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel ; et nunc tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.....* (2) Ostendunt se jam omni spe excidisse.

Punctum II. — Aperto morbo præsens remedium adhibet,

1° Acriter sed amanter redarguendo : *O stulti et tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* (3)

2° Edocendo ex Scripturis *oportuisse Christum ista pati, mori, et resurgere* a mortuis, *et ita* demum *intrare in gloriam suam.* Quod illi non intelligebant.

3° Apertione et interpretatione Scripturarum illos accendendo, ut postea dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (4) ? Sic et tu age cum deviis et errantibus.

Punctum III. — Illis præparatis, se tandem cognoscendum præbet.

1° Castello quo ibant appropinquantibus, *fingit se longius ire*, ut occasionem præbeat exercendi hospitalitatem, seque amanter invitandi; imo se quodam modo cogi sinit his verbis : *Mane nobiscum, Domine, quia advesperascit* (5). Et tandem libens ingreditur, et recumbit cum illis.

2° In fractione panis ab illis agnitus, *statim evanescit ab oculis eorum.* In quo et vis Sacramenti se prodit, et visitationis divinæ bonitas agnoscitur

(1) *Luc.*, 24. — (2) *Ibid.* — (3) *Ibid.* — (4) *Ibid.* — (5) *Ibid.*

3° Illi, miraculo attoniti et solatio pleni, revertuntur in Jerusalem, et undecim Apostolis aliisque Discipulis congregatis narrant omnia *quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Et ab eis vicissim audiunt : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (1). Sic et tu quæ a Deo accepisti, ad gloriam ejus, aliis communica, et ab aliis vicissim accipe. Cæterum Christus apparuit primo peccatoribus conversis, ipsum quærentibus; Petro et Magdalenæ.

COLLOQUIUM. — *Mane nobiscum, Domine.*

Lectio ex Libello et Directorio, de quarta Hebdom. Item ex Gaudier, c. 30.

Ex lib. III de Imitatione Christi, cap. 3, quod verba Dei cum humilitate sint audienda, etc.; lib. IV, cap. 2, quod magna bonitas et charitas in Sacramento homini exhibetur.

XXIX. CONSIDERATIO.

DE OFFICIO DIVINO, SIVE DE HORIS CANONICIS.

I. — Officium divinum

1° Est præstantissima inter orationes vocales, undecumque spectetur, sive ex parte materiæ, sive ex parte formæ, finis, causæ efficientis aut exemplaris.

2° Est Deo acceptissima, qui in ea spectat Christum et Ecclesiam ejus sponsam, non indignos ministros.

3° Eidem maxime gloriosa, ut pote nomine et vice Christi ipsi ab Ecclesia oblata.

4° Iis quibus imposita est debet esse commendatissima, ut pote proprium eorum officium, Angelis ipsis æmulandum.

II. — Nostri Sacerdotes, ex Reg. eorum secunda, *divinum Officium nitantur attente, devote et opportuno tempore recitare.* Celebris glossa, cap. *Dolentes de celebr. Miss.* dicit : *Attente quoad officium oris, devote quoad officum cordis.* Ad utrumque requiruntur dispositiones internæ et externæ.

III. — Externæ dispositiones sunt:

1° Diligentia in tempore convenienti, præveniendo potius quam differendo, ad quod habeatur hora fixa et determinata, quæ, si quando impediatur, sollicita cura suppleatur.

2° Modestia in situ et modo orandi, pacate, sine festinatione.

(1) *Luc.*, 24.

3° Tranquillitas, colligendo se ante recitationem, et evitando turbationem.

4° Studium et applicatio animi, tanquam ad rem gravissimam et maxime seriam.

IV. — Dispositiones internæ, seu virtutes hoc exercitium comitantes, sunt:

1° Puritas cordis seu conscientiæ mundities, ne impediatur meritum, et ut evitetur illud: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* etc. (1)

2° Humilitas, dicendo ex corde cum Patre credentium: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* (2)

3° Attentio animi ad verba, ut bene, distincte decenterque proferantur; ad sensum, ut cogites quid dicas, quantum potes; saltem ad Deum, quem oras aut laudas. Defectus attentionis, si sit voluntarius, ut sæpe, institutum Ecclesiæ evertit, fructum orationis evacuat, eamque in peccatum convertit.

4° Devotio sive applicatio cordis, intrando in affectus eorum qui has precationes condiderunt, imo in affectus Christi, Ecclesiæ, fidelium omnium quorum vices geris.

V. — Media ad has virtutes excitandas et fovendas sunt consideratio, cautio, et methodus.

Primo. Igitur considera frequenter et serio. 1° obligationem strictam, cui non satisfacis nisi bene recitando; 2° tempus longum perditum, si male recites; 3° Personam quam sustines, cum quo et ad quid loquaris; 4° concentum Angelorum laudantium Deum, ut æmuleris.

Secundo. Has cautiones adhibe: 1° assume tempus sufficiens, ne coarcteris et cogaris festinare; 2° locum quietum et a strepitu remotum, ne distraharis; 3° situm fixum et sine agitatione, ne turberis; 4° omnia prius quære, prævide et annota: 5° recita ex libro, non de memoria; 6° nunquam abrumpe absque vera necessitate; 7° vide ne situs commodus conciliet somnum; 8° ad occurrendum oblivioni, quære ante decubitum, in examine et extra, an penso diurno satisfeceris.

Tertio. Methodus ad recitandum Officium sit quasi ad meditationem.

1° Adveniente hora, animum collige, et præpara, cum fide dicens: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* (3)

2° Prævisis omnibus, recita ex Breviario orationem præparatoriam: *Aperi, Domine, os meum.*

3° Præludia adhibe toti Officio congrua; pete gratiam specialem convenientem.

4° Psalmos nocturnorum ad tres Personas Divinas seorsim dirige et refer: in Lectionibus audi Prophetas, Apostolos et alios Scriptores sacros, et Deum per eos loquentem: in Responsoriis Angelis te adjunge: in Orationibus Ecclesiam indue, ut minister.

5° Inter recitandum, excita in te affectus fidei, spei et charitatis, gaudii, timoris, ad quos psalmus et hymnus invitat: in

(1) *Ps.* 49. — (2) *Gen.*, 18. — (3) *Ps.* 137.

progressu, fervorem intende; juxta gradationem, petite, quærite, pulsate.

6° Absoluta psalmodia, reflecte et examina; si bene successit, gaude et gratias age; si minus bene, dole et veniam pete, fructumque collige, et ad erratorum indulgentiam consequendam, recita orationem: *Sacrosanctæ et individuæ Trinitati*, etc.

DIES TRIGESIMUS,

QUARTÆ HEBDOMADÆ SECUNDUS.

APPARITIONES APOSTOLICÆ.

Præbuit se ipsum vivum in multis argumentis, apparens eis. *(Act.*, 1.)

I. MEDITATIO.

APPARET APOSTOLIS IN COENACULO CONGREGATIS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. Christus stans in medio eorum.
Præludium III. — Pete Spiritum in Apostolos effusum.

PUNCTUM I. — Circumstantiæ notandæ ad visitationes divinas.

1° Tempus : *ipso die Resurrectionis*, sed *sero* (1). 2° Locus : cœnaculum ubi sanctissima mysteria celebrata fuerunt. 3° Personæ : *congregatis omnibus* Apostolis, præter Thomam. 4° Occasio : *dum hæc loquerentur* (2) quæ contigerunt in Emmaus. 5° Dispositio et præcautio : *cum fores essent clausæ, propter metum Judæorum* (3). 6° Modus : venit Jesus subito, repente. 7° *Stetit in medio eorum* (4), ut ab omnibus æque videretur et agnosceretur. 8° Impressio et affectus : *et dixit eis : Pax vobis, ego sum, nolite timere* (5). Tria signa boni Spiritus. Hæc omnia collecta disponunt ad excipiendas cœlestes visitationes. Si tardat Dominus,

(1) *Joann.*, 20. — (2) *Luc.*, 24. — (3) *Joann.*, 20. — (4) *Ibid.* (5) *Luc.*, 24.

id facit defectu alicujus dispositionis necessariæ, ut hic patet in Apostolis. Vide quæ tibi desit, in quo deficias, idque corrige.

PUNCTUM II. — Christus Discipulos corrigit, convincit, instruit.

1° *Conturbati et exterriti existimabant se spiritum videre* (1). Fuge turbationem, cave illusionem. *Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Venientes utique deorsum : *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sic dignatur eos sensu et ratione convincere. Quin et addit aliud vitæ signum : *Habetis aliquid quod manducetur; et cum manducasset, reliquias dedit eis.*

2° Tandem post moram aliquam et notitiam experimentalem perfecte agnoscentes, primum plene *gavisi sunt Discipuli viso Domino* (2), et probe agnito; abjecto omni timore et perturbatione.

3° Illos nihilominus Christus perfectius et plenius instruit; tum recolendo præterita : *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos* (3); tum ostendendo hæc fuisse prædicta : *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, Prophetis et Psalmis de me : et aperiendo illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* tum ostendendo infallibilitatem præordinatorum a Deo : *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die;* deinde ex præteritis et præsentibus asserendo futura : *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Jerosolymis;* eorum demum conscientiam attestando : *Vos autem testes estis horum.*

PUNCTUM III. — Sic paratos et perfectos deputat et mittit.

(1) *Luc.*, 24. — (2) *Joann.*, 20. — (3) *Luc.*, 24.

1° *Dixit eis iterum : Pax vobis* (1), ut nimirum jam in se pacati, pacem etiam aliis darent. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* cum eadem potestate, ad eumdem finem et modum. Illos igitur Apostolos, Legatos, Vicarios et substitutos suos facit. Qualis et quanta dignitas! sed qualis tua indignitas qui nihilominus illius effectus es particeps!

2° Hæc cum dixisset, *insufflans, eis dixit : Accipite Spiritum Sanctum.* Quale, quantumque donum! vitam spiritualem, supernaturalem, Divinam tibi largiens, aliis quoque communicandam.

3° Addit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Et hæc universaliter quoad personas, peccata, vices; imo certo et infallibiliter, nisi stet per eos. Quis hæc digne æstimet? pro te et tibi hæc potestas concessa est : quas gratias egisti? et quomodo hactenus usus es? et quomodo porro uteris in posterum?

Colloquium. — Gratias age de missione, offer te ad omnia, pete spiritum Apostolicum.

SUPPLEMENTUM HUJUS MEDITATIONIS.

THOMÆ INCREDULITAS ET CONVERSIO.

Punctum I. — Sancti Thomæ incredulitas.

1° *Thomas, unus ex duodecim, non erat cum eis quando venit Jesus* (2). Discipuli admoniti de resurrectione Domini, illum congregati exspectabant. Thomas non credens discessit ab eis et privatus fuit visione Domini, et gratiis in alios effusis.

2° *Dixerunt ergo ei alii Discipuli : Vidimus Dominum.* At qui prius duobus aut quatuor asserentibus se vidisse redivivum, nunc omnibus, et forte Beatæ Virgini Dei-

(1) *Joann.*, 20. — (2) *Ibid.*

paræ, noluit credere. de malo in pejus ruens. Agnosce hic et mirare humanam imbecillitatem, et fidem esse donum Dei; de quo gratias age.

3° *Dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum in latus ejus, non credam.* Quot et quanta peccata in hoc Apostoli dicto! incredulitas, pertinacia, superbia, præsumptio in medio suæ conversionis præscribendo, et scandalum in hoc palam protestando. Time tibi ab his, et judicium tuum aliis submitte.

Punctum II. — Christus iterum apparens errantem revocat.

1° *Post dies octo, erant Discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis* (1). Jam per octiduum incredulus, diutius perseverasset, nisi venisset Jesus. Quam bonus es, Domine!

2° *Venit Jesus januis clausis, stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis,* vult illum convertere coram illis omnibus quos scandalizavit, et per congruam pœnitentiam scandalum reparare.

3° Deinde dicit Thomæ : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas ; et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Ostendit Thomæ se nosse omnia quæ dixerat ; et ei condescendit in omnibus, addens tamen : *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

Punctum III. — Thomas resipiscit.

1° *Respondit ei : Dominus meus et Deus meus.* Verba sunt plena affectus, fidei, amoris, timoris, doloris. Agnosco in vulneribus Dominum meum Jesum, et eumdem agnosco Deum meum, qui benignitate sua vicit incredulitatem meam.

(1) *Joann.*, 20.

2° *Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti,* alias non crediturus; laudat finem, culpat modum.

3° *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

COLLOQUIUM. — *Credo, Domine, sed credam firmius.*

II. MEDITATIO.

APPARET SEPTEM DISCIPULIS PISCANTIBUS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Discipuli in navigio, et Christus in littore.
Præludium III. — Pete nosse mysteria.

PUNCTUM I. — Septem Discipulis, in quibus tres prædilecti, piscantibus, in mari Tiberiadis, post noctem frustra transactam (1), sic sese manifestavit.

Mane apparuit *in littore*, et quidem ignotus et inexspectatus, forte *desideratus in nocte* (2). Sic repente apparebit in fine vitæ in terra viventium. Cave ne inexspectatus.

2° *Dixit eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt* : *Non.* Vult illos suam inopiam agnoscere et confiteri : ut olim Petrus ante copiosam piscationem.

3° *Dixit illis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis.* Ignoto cæce obedientes miserunt, *et jam non valebant illud trahere, præ multitudine et* magnitudine *piscium.* Quod fit ex obedientia et recta intentione, semper utile est et proficuum. Sic age in piscatione animarum, et succedet tibi.

PUNCTUM II. — Piscatio tam insolens et inexspectata excitavit attentionem Discipulorum.

1° *Dixit ergo Discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est* (3). Primus Virgo Virginem et dilectus amantem agnovit, sed statim aliis indicavit.

2° *Simon Petrus, ut audivit quia Dominus est, tunica*

(1) *Joann.*, 21. — (2) *Is.*, 26. — (3) *Joann.*, 21.

succinxit se, et misit se in mare. Fervor non patitur moras, nec timet pericula. Joannes prior agnoscit, Petrus prior adit. Hunc imitare. *Alii navigio venerunt* serius, *trahentes rete;* sed tandem pervenerunt.

3° *Ut descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem.* Et jussi afferre de piscibus tunc deprehensis, *traxerunt cum Petro rete* integrum, *plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus;* et invitati sunt a Domino dicente: *Venite, prandete.* Vide ejus benignitatem et curam operariorum suorum, quibus singulis dat panem, et piscem similiter; eique confide, quoniam *ipsi cura est de suis.* (1)

Punctum III. — Cum ergo prandissent serio et cum reverentia Domino debita, ipse soli Petro loquitur. (2)

1° Ter interrogando de amore: *Simon Joannis, diligis me plus his?* et affirmative, sed modeste, nec sine timore respondenti, commendat agnos et oves: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Interrogatur amor et imponitur labor, *et trinæ negationi redditur trina confessio, ne minus amori serviat lingua quam timori,* et plus videatur elicuisse mors imminens quam vita præsens. (3)

2° Petro promittit et prædicit martyrium: *Amen dico tibi cum esses junior, cingebas te, et ambulabas quo volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Incertus de futuro, præcinge te de præsenti, et clarifica Deum per liberam mortificationem.

3° Imperat sui sequelam, tanquam viam et medium, juxta illud: *Si quis vult venire post me.....* quo obsequente, *Joannes* injussus sponte *sequitur,* et de eo quærens Petrus corripitur: *Sic eum volo manere donec*

(1) *I Petr.*, 5. — (2) *Joann.*, 21. — (3) *S. Aug.*

veniam, quid ad te? tu me sequere. Attende tibi, et jussa Dei exquire; de aliis curiose non exquiras.

COLLOQUIUM. — Pete utrumque Apostolum in amore et sequela Christi imitari.

III. MEDITATIO.

APPARET DISCIPULIS CONGREGATIS IN MONTE GALILÆÆ.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Christus in summitate montis, Discipulis circumstantibus.
Præludium III. — Pete illum nosse et amare.

PUNCTUM I. — *In condictum montem,*

1° *Cum undecim conveniunt* (1), ultra quingentos ab apostolis admoniti et invitati (2). Quo affectu! quo desiderio videndi Christum redivivum!

2° Ipse venit, ut constituerat illis. Apparet simul omnibus, et *ab omnibus adoratur, quibusdam tamen initio dubitantibus,* ut Apostolis ipsis contigerat. Quam bonus Dominus, qui se etiam indignis communicat!

3° *Et accedens locutus est eis* (3). Hic *apparet benignitas et humanitas Salvatoris nostri, erudiens nos* (4). Ascende tu in montem; crede indubitanter; adora in spiritu et veritate; ausculta diligenter.

PUNCTUM II. — Quid porro locutus est?

1° *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (5), natura debita, jure meritorum parta, ex nunc usque in seculum duratura. Ipsi ex animo gratulare et confide; addit enim: *Euntes ergo docete omnes gentes* (6). *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (7). Illud ergo ostendit tantam potestatem pari bonitati et beneficentiæ esse conjunctam. Hanc lauda, et spera in ea.

2° Prædicate Evangelium, *baptizantes eos in nomine*

(1) *Matth.*, 28. — (2) *I Cor.*, 15. — (3) *Act.*, 3. — (4) *Tit.*, 2. (5) *Matth.*, 28. — (6) *Ibid.* — (7) *Marc.*, 16.

Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (1). *Docentes eos,* non scire solum, sed et *servare,* non aliqua, sed *omnia quæcumque mandavi vobis.* Ordo Evangelizantibus servandus, docendo de credendis, credentes baptizando, baptizatos instruendo de præceptis.

3° *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (2). Cogita quid sit salvari et damnari ; quid ad illud exigatur; cur hoc comminetur.

4° *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur* (3). Percurre singula, et imple saltem moraliter et spiritualiter.

Punctum III. — Magnifica promissio, Deo digna, Apostolis eorumque successoribus facta.

1° *Ecce ego* (Deus-Homo) *vobiscum sum* (prædicantibus, baptizantibus) *omnibus diebus* (adeoque semper et sine intermissione) *usque ad consummationem seculi* (4), (hoc est usque ad finem mundi) adeoque cum successoribus vestris, omni tempore futuris. Hinc perpetua Ecclesiæ duratio, visibilitas, et perpetua Dei assistentia invisibilis. Crede, spera, lætare.

2° Cogita quæ et qualis inde fuerit Apostolorum fiducia, et quæ nostra esse debeat ; nam et ad nos spectat promissio.

3° Est autem Christus nobiscum, qua Deus et homo in sacramento ; in corpore Ecclesiæ, per specialem providentiam ; in justis per gratiam habitualem sanctificantem ; in fidelibus, per fidem et gratiam actualem.

Colloquium. — Pete esse his modis omnibus jugiter cum Deo.

Lectio ex Evangeliis quatuor de apparitionibus Domini ; de Imitatione Christi, lib. III, cap. 1, de interna

(1) *Matth.*, 28. — (2) *Marc.*, 16. — (3) *Ibid.* — (4) *Matth*, 28.

Christi locutione; cap 2, quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum; lib IV, duo prima capita.

XXX. CONSIDERATIO.

DE SANCTISSIMO MISSÆ SACRIFICIO CELEBRANDO.

Tria præcipue consideranda sunt: præparatio, celebratio, gratiarum actio.

I. — Præparatio duplex distinguenda; remota scilicet, et proxima.

1° Ad præparationem remotam pertinet Reg. prima Sacerdotum, *De religiosa disciplina præcipue observanda*, et tertia quæ dicit: *Ita vivere studeant, ut quotidie merito celebrare possint;* et additur: Ad idque conducet *sæpius in hebdomada confiteri, quam octavo quoque die, ut debent omnes.* Tria ergo illis commendantur: vitæ puritas et sanctitas, accurata regularitas, et frequens confessio.

2° Ad præparationem proximam pertinet, 1° recitasse Matutinum et Laudes. Si hoc pridie factum est, saltem mane præmittenda est consueta meditatio, et si commode fieri potest, etiam prima Officii Ecclesiastici; 2° probare te ipsum, cogitando quid sis a te ipso: scilicet nihilum, et peccator. Quis esse debeas, ut minister Christi et Ecclesiæ? sanctus, innocens, impollutus, ut Christus ipse. Ad hoc recogita peccata tua cum pœnitudine et emendationis proposito, eaque saltem Deo generaliter confitere. 3° Attende ad Christi consilia, ipsumque induens illis cooperare. Præcipuum autem consilium fuit ut esset in Ecclesia sacrificium Deo dignum, et propitiatorium pro vivis et defunctis. Hoc igitur ipsum offer ad Dei gloriam, et ad aliquem certum et specialem finem, teque ipsum simul offer. 4° Confer te ad Sacristiam tempestive, juxta Regulam quintam, ubi, post orationem brevem, lege Directorium, in Missali omnia prævide et nota; manus ablue, calicem præpara, apposita hostia et purificatorio; vestes sacras indue, orationes præscriptas ad singula diligenter et devote recitando. 5° Opta munditiem corporis, et animæ parem Angelicæ et Marianæ: offer devotionem omnium sanctorum Sacerdotum. 6° Ad altare tandem accede sub auspiciis Virginis Deiparæ. *Per te accessum habeamus ad Filium, o Benedicta!*

II. — Circa celebrationem ipsam.

1° Servanda est Regula quarta, quæ tria præscribit. 1° *Cærimonias Missæ ex usu Romano accurate unusquisque servet*, quæ proinde addidicisse et saltem semel in anno integre legere oportet. 2° In ea celebranda *pronunciationem et quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum ædificationi quam propriæ devotioni serviat.* 3° Et ideo *semihoram in faciendo Sacro nec multum excedat, nec ita bre-*

eis sit, ut illam non expleat, quæ tria sapientissime statuta sunt.

2° Omnes cærimoniæ seu verborum seu factorum duo a te postulant; primum, ut illud Christi sive factum, sive dictum aut consilium, ad quod singulæ referuntur, recolas, et quoad poteris intellectu penetres; secundum, ut illi cognitioni conformes affectus, et voluntatis actus elicias.

3° Et quoniam in sacrificio Missæ una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum olim in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, ut docet Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 2, animum tuum in omnibus cum summo Sacerdote Christo se ipsum offerente unire debes, Passionis ejus et Mortis mysteria pie recolens, eosdemque cum ipso actus intellectus et voluntatis eliciens, teque ipsum cum illo offerens.

4° Attentionem et devotionem præcipuam affer in oblatione materiæ, consecratione, adoratione, oratione pro vivis et defunctis, et communione.

III. — Gratiarum actio accurate et ex corde, non perfunctorie et obiter facienda.

1° Recita ex animo Canticum trium Puerorum, et alias preces præscriptas in ipso reditu, et paramentorum depositione.

2° Genuflexus adora ex intimis præcordiis Christum in te habitantem corporaliter.

3° Divinis ejus operationibus unire, eosdem quos ipse memoriæ, intellectus et voluntatis actus exercendo, ut dicere possis: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (1)

4° Adductis ad eum omnibus potentiis tuis, roga ut dignetur sanare infirmitates tuas

5° Offer iterum hanc victimam Deo Patri, juxta multiplicem sacrificii finem, et temet totum cum ipsa.

6° Ora etiam pro iis quibus sacrificium applicuisti, et pro cæteris qui se sacrificiis tuis commendarunt.

DIES TRIGESIMUS PRIMUS,

QUARTÆ HEBDOMADÆ TERTIUS.

CHRISTUS ASCENDENS IN COELUM.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite ubi Christus est. (*Col.*, 3.)

(1) *Galat.*, 2.

I. MEDITATIO.

ASCENSIO DOMINI.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Specta cum Discipulis Christum ascendentem.
Præludium III. — Pete sequi affectu, et ab ipso benedici.

PUNCTUM I. — Præmissa Ascensioni.

1° *Novissime apparuit undecim recumbentibus* (1), et convesci dignatur. Simul *exprobrat illis incredulitatem*, ad ipsos humiliandos per extrema verba.

2° *Educit ipsos foras in Bethaniam* (2), et ad montem Oliveti, unde pati cœperat, multis aliis in via sponte aggregatis, ad novum et singulare spectaculum.

3° Astantibus omnibus valedicit, et *elevatis manibus, benedicit* (3). Quo et ipsius et omnium affectu! adjunge te illis, simul adora, suscipe benedictionem.

PUNCTUM II. — Ascensio ipsa.

1° *Videntibus illis, elevatus est* (4), non clam, non coram uno vel altero, sed palam, omnibus videntibus. Nec momento disparuit, sed sensim elevatus est; non raptus, sed propria virtute *recessit ab eis, et ferebatur in cœlum* (5) ; ipsis ut aspectu, sic affectu sequentibus. Sequere et ipse mente et corde.

2° *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (6), tanquam triumphalis currus quo vehebatur. Sustulit ab oculis eorum, ne viderent eum amplius. Quo omnium desiderio simul et gaudio!

5° Illis nihilominus in cœlum defixis, *ecce duo viri astiterunt in vestibus albis, dicentes : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis illum euntem in cœlum* (7), et quidem cum potestate magna

(1) *Marc.*, 16. — (2) *Luc.*, 24. — (3) *Ibid.* — (4) *Act.*, 1. — (5) *Luc.*, 24. — (6) *Act.*, 1. — (7) *Ibid.*

et majestate. Hæc duo assidue conjunge, ad fiduciam et timorem, memoriam ascendentis, et exspectationem Judicis. Et ipsi monito cœlesti obsequentes, et osculo vestigia *adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* (1)

PUNCTUM III. — Causæ, meritum, et effectus Ascensionis.

1° *Quod ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ* (2) ; nempe *omnis qui se humiliat exaltabitur* (3) ; et pro mensura humilitatis erit exaltatio.

2° *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem* (4). Quotquot resurrexerunt cum ipso, pariter ascenderunt. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* (5)

3° Ascendamus et nos post ipsum, *ascensiones in corde nostro disponendo* (6), pro vario statu ; nempe incipientium, proficientium, et perfectorum. Primum in valle lacrymarum vitia nostra calcando, et ex eis scalam nobis faciendo per compunctionem et mortificationem. Deinde per Dei benedictionem et propriam cooperationem, eundo de virtute in virtutem ; donec tandem videamus Deum deorum in Sion per intimam unionem et beatitudinem.

COLLOQUIUM. — *Trahe nos post te,* Domine, *curremus in odorem unguentorum tuorum.* (7)

II. MEDITATIO.

GLORIOSA CHRISTI VITA IN COELO.

Præludium I. — Specta Christum sedentem a dextris Dei.
Præludium II. — Pete ejus felicitatem nosse, et participare.

PUNCTUM I. — Christus in cœlo pro merito glorificatus.

1° Quod morti proximus dixerat, hoc idem in cœlum

(1) *Luc.*, 24. — (2) *Ephes.*, 4. — (3) *Luc.*, 14. — (4) *Ephes.*, 4. (5) *Coloss.*, 3. — (6) *Ps.* 83. — (7) *Cant.*, 1.

ingrediens iteravit : Pater, *opus consummavi quod dedisti mihi, ut facerem. Et nunc clarifica me tu claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.* (1)

2° Pater, petitioni acquiescens, respondit juxta Prophetiam Psaltis : *Sede a dextris meis; et ponam inimicos tuos sub pedibus tuis* (2) ; idque plaudentibus angelis omnibus, et adorantibus cum epiphonemate : *Dignus est Agnus,* etc. (3)

3° Ex tunc Dominus Jesus sedet a dextris Dei, secundum humanitatem, elevatus super omnem omnino creaturam, *illius gloriæ sociatus in throno, cujus naturæ copulabatur in filio* (4). Sedet, inquam, ad perpetuam quietem post laborem, ad imperandum et judicandum. Gratias age Deo Patri, Christo Domino gratulare ; ipsum ut Deum adora ; reverere ut Regem regum ; time ut Judicem vivorum et mortuorum.

PUNCTUM II.—Christus in cœlo nobis etiam proficuus.

1° Ut *Advocatus noster. Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum* (5). *Et ipse interpellat pro nobis* (6), Patri merita exhibens, vulnera servata ostendens. Quid non speres a tali advocato ? sed scito quod non rogat pro mundo.

2° Ut *Salvator et caput* nostrum. *Vado,* inquit, *vobis parare locum, ut ubi ego sum, et vos sitis* (7). *Quo præcessit gloria capitis, eo vocatur et spes corporis.* (8)

3° Ut *Remunerator* et *Judex. Si quis mihi ministrat me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (9). *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (10). Quas pro suo quisque accipiet merito : unusquisque enim mercedis particeps erit, ut laboris exstiterit. Juxta pactum meditationis de regno Christi.

(1) *Joann.*, 17. — (2) *Ps.* 109. — (3) *Apoc.*, 5. — (4) *S. Leon.* — — (5) *I Joann.*, 2. (6) *Rom.*, 8. — (7) *Joann.*, 14. — (8) *S. Leon.* — (9) *Joann.*, 12. — (10) *Ibid.*, 14.

PUNCTUM III. — Christi felicitas pignus et typus nostræ.

Hæc est 1° Vacuitas omnis mali : *Non accedet ad te malum* (1). 2° Perfecta affluentia omnis boni, ex intima possessione Dei, imo ex unione hypostatica cum Deo. 3° Status æternæ imperturbabilitatis, quam denotat sessio ad dexteram Patris.

COLLOQUIUM. — Pete cum Christo mente in cœlestibus habitare, ut detur olim habitare et corpore.

III. MEDITATIO.

SECESSUS DISCIPULORUM TYPUS TERTIÆ PROBATIONIS.

Præludium I. — Historia ex verbis Domini.
Præludium II. — Discipuli in cœnaculo congregati.
Præludium III. — Pete illos imitari, et adjunge te illis.

PUNCTUM I. — Discedendi proximus, dixerat Dominus : *Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate quoad usque induamini virtute ex alto* (2). Quibus verbis 1° vetabat discipulos, adhuc imbecilles et inertes, sese periculis exponere, et intempestivo alienæ salutis studio propriam negligere ; 2° jubebat congregatos, clausos et quietos perstare; 3° donec Spiritum Sanctum se confortantem, a Patre promissum, a Christo mittendum accepissent. Hoc idem tibi dictum puta; et hoc tempus secessus et solitudinis tanquam tibi a Deo datum sic accipe, et studiose impende.

PUNCTUM II. — *Erant omnes perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu* (3). Hoc si non unicum, præcipuum certe illorum negotium fuit orare, et in oratione perseverare uno animo et uno corde; et orationes suas Beatæ Virginis, Dei Genitricis, precibus fulcire, quæ ultimum ubique locum ex humilitate affectabat. Hoc rursus tempus orationis, humiliationis, ab-

(1) *Ps.* 90. — (2) *Luc.*, 24. — (3) *Act.*, 1.

negationis, resignationis in futurum... Vide ut in ejusmodi exercitia sedulo, unice, aut præcipue incumbas.

Punctum III. — I. Summa concordia vacant electioni sancti Matthiæ in locun Judæ proditoris (1). Hoc iterum tempus eligendi, et statuendi in futurum, circa statum, officia, perfectionem.

II. Hæc prima electio norma est cæterarum. 1° *Exsurgens Petrus in medio fratrum*, ostendit eis necessitatem ex prævaricatione Judæ, *cujus episcopatum alter accipere debeat ex Davide* (2). 2° *Statuunt duos Joseph* et *Matthiam*, inter quos fiat electio. 3° *Orantes dicunt : Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris* 4° Cum indifferentia *sortes mittunt.* 5° *Cecidit sors super Matthiam*, quem assumunt. Et ipse *annumeratus est cum undecim apostolis;* omnibus divino beneplacito acquiescentibus. Hic recole omnes et singulas electionis Regulas.

III. Matthias delatum sibi honorem acceptat cum modestia et sine timore. Joseph, qui cognominabatur Justus, repulsam passus, nec illi invidet, nec animo dejicitur. Et tu in simili fac similiter.

Colloquium. — Pete in his omnibus sacrum hoc Collegium imitari.

Lectio de cap. 1 Actuum apostolorum.

Lege ex lib. III de Imitatione Christi, cap. 8, de vili æstimatione sui ipsius in oculis Dei ; cap. 9, quod omnia ad Deum sicut ad finem ultimum sunt referenda.

XXXI. CONSIDERATIO.

DE DEVOTIONE ERGA SANCTISSIMAM VIRGINEM DEIPARAM.

I. — Devotio in genere, ex divo Thoma, 2. 2. quæst. 82, a. 2, est *voluntas quædam prompta tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* Hæc autem promptitudo voluntatis oritur

(1) *Act.*, 1. — (2) *Ps.* 108.

ex charitate, et stare non potest cum voluntate peccandi. Unde devotio erga beatam Virginem est dispositio cordis et promptitudo voluntatis ad illam honorandam, eique debito et placito modo serviendum. Orationes autem, eleemosynæ, jejunia oblata, non sunt devotio erga ipsam ; sed possunt esse media ad illam, vel effectus illius quæ non potest stare cum voluntate perseverandi in peccato. Adeoque in iis qui non renuntiant peccato, tales notæ sunt *aurum in sterquilinio*, ut dicitur Ezechiel. cap. 7. In his autem qui volunt et desiderant cessare a peccato, potest esse initium quoddam devotionis, et quasi scintilla, quæ si foveatur, pariet incendium. Requiritur igitur ad illam desiderium, et conatus cessandi a peccato.

II. — Omnis devotio, cum sit actus religionis, refertur ad Dei cultum, et includit vel supponit amorem et honorem personæ ad quam immediate exercetur, in ordine ad Deum : unde devotio erga beatam Virginem est amor et reverentia erga beatam Mariam, ut Dei Genitricem. Et hic cultus dicitur Hyperdulia, longe inferior Latria, soli Deo debita, sed superior Dulia, Sanctis Dei servis et amicis conveniente.

III. — Motiva hujus venerationis, alia sunt ex parte Dei, alia ex parte Virginis, alia ex parte nostri ; Deum enim vult ipsam a nobis coli, ut ipsa meretur, et idipsum nobis valde utile est.

Primo. Ex parte Dei. 1° Deus amat beatam Virginem præ omnibus, tam Angelis quam hominibus ; 2° vult illam a nobis amari et coli, quia omnia vult nos habere per eam, 3° tres Divinas personas affinitate attingit.

Secundo. Beata Maria amorem et cultum nostrum meretur ob suam dignitatem et propriam excellentiam ; ob benevolentiam et beneficentiam suam. 1° Est enim Mater Christi, adeoque Mater Dei, quid sublimius ? 2° est Regina Angelorum et hominum ; 3° est creaturarum Sanctissima ; 4° est Mater nostra et Cooperatrix salutis, adeoque post Christum Dominum maxime amanda et colenda.

Tertio. Hæc devotio omnia nobis naturæ et gratiæ dona conciliat, estque speciale signum prædestinationis. Hanc devotionem Spiritus Sanctus Ecclesiæ universæ a primis usque seculis inspiravit, ut patet ex innumeris templis, aris, congregationibus, festis in ejus honorem institutis, et precibus ad ipsam specialiter directis, ab Ecclesia probatis et præceptis.

IV. — Media ad hanc devotionem comparandam sunt sequentia :

1° Legere libros in ejus honorem scriptos, elogia ejus a sanctis Patribus et Conciliis facta.

2° Meditari ejus excellentias et virtutes.

3° Ipsam frequenter et ferventer invocare et orare.

4° Certa et specialia ipsi servitia exhibere.

5° Ejus laudes in colloquium inferre et libenter audire.

6° Devotionem ejus expresse suadere, et, quantum potes, augere.

V. — Specialia officia erga beatam Virginem Dei Genitricem :

1° Illam in Matrem, Dominam et Patronam assumere, seque ejus clientelæ subdere.
2° Ejus nomen et imagines pie venerari.
3° Loca ipsi dicata pie invisere.
4° Festa ejus prævenire et pie celebrare.
5° Personas ipsi propinquas specialiter venerari, et parentes ejus sanctum Joachim et sanctam Annam, sponsum ejus sanctum Joseph, sanctos Zachariam, et Elisabeth cognatam ejus, et Joannem Baptistam, et Evangelistam filium adoptivum.
6° Eleemosynas, jejunia, et alia ejusmodi in ejus honorem facere.
7° Missas item in ejus honorem celebrare, et Deo offerre.
8° In ejus honorem aliquem defectum vitare, aliquod vitium corrigere.
9° Virtutes ejus, maxime puritatem. colere et imitari.
10° Parvum Officium, Psalterium, Rosarium, Litanias Lauretanas recitare.
11° Quotidie mane et vespere protestari, et ad triplicem pulsum Angelicam Salutationem genu flexo recitare; item in ingressu et egressu e cubiculo, et ad pulsum cujuslibet horæ.
12° Singulis septimanis, mensibus, annis specialiter aliquid in ejus honorem sibi præscribere.
13° Aggregare se ejus Sodalitiis et Congregationibus sub ejus nomine erectis.

DIES TRIGESIMUS SECUNDUS,

QUARTÆ HEBDOMADÆ QUINTUS.

FRUCTUS ASCENSIONIS CHRISTI, SIVE DESCENSUS ET OPERATIONES SPIRITUS SANCTI.

Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. (*Ephes.*, *4.*)

I. MEDITATIO.

DESCENSUS SPIRITUS SANCTI IN APOSTOLOS.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Discipuli in cœnaculo orantes cum linguis igneis supra caput.
Præludium III. — Pete cœlestis doni particeps fieri.

PUNCTUM I. — Excellentia doni Spiritus Sancti triplici ex capite præcipue commendatur.

1° Ex parte Dei. Christus sedens ad dexteram Dei

Patris, una cum ipso mittit Spiritum Sanctum, ad implendum opus suum, et missionem suam consummandam. Et Spiritus ipse Sanctus donat se ipsum, donum super omne donum, in quo sunt omnia dona. Quis hæc digne æstimet?

2° Ex parte hominis. 1° Summa necessitas hujus doni, sine quo frustra essent alia omnia. 2° Positiva indignitas illius accipiendi, cum missum ad se Filium occidisset. 3° Et tamen Deus *effudit* illum aliunde *super omnem carnem* (1), in omnes gentes sine personarum acceptione.

3° Ex parte finis et usus, auget pretium utilitas doni multiplex. Datur enim ut sit *Paracletus*, seu consolator loco Christi, qui *maneat nobiscum in æternum*, qui *doceat nos omnem veritatem* (2), qui *suggerat nobis*, et explicet quæcumque Christus docuerat, de ipso *testetur*, et mundum *arguat*. Denique, quomodo cum eo nobis non omnia donabit?

Gratias age Sanctissimæ Trinitati, et specialiter Spiritui Sancto, de tali et tanto dono, pro te aliisque omnibus.

Punctum II. — Circumstantiæ dationis. *Cum complerentur dies Pentecostes*, ante horam diei tertiam, *erant omnes pariter congregati, et factus est repente de cœlo sonus tanquam spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes* (3), et in oratione perseverantes. Ubi pondera tempus datæ olim Legis, locum, cœnaculum, Ecclesiæ figuram, personas ecclesiam componentes, earumque dispositiones per decendium orationis, item rationes soni et venti, vim et copiam donorum ex impletione domus. Recole nebulam quæ olim implevit templum Salomonis, figuram hac veritate impletam; et ex singulis Deum lauda et glorifica.

(1) *Joel.*, 2; *Act.*, 2. — (2) *Joann.*, 14, 15 *et* 16. — (3) *Act.*, 2.

PUNCTUM III. — Modus et forma dationis.

1° *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis* (1), scilicet ut legem igneam linguæ igneæ prædicarent, constaretque illis non tam pro se quam pro aliis dari.

2° *Seditque supra singulos eorum*, ignis scilicet. Quia nimirum *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* (2). Sedit autem quasi non discessurus ab eis, quos in gratia confirmavit.

3° *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, quisque pro suo modo, capacitate, officio, dispositione; sed omnes omnino repleti sunt. Gratulare illis omnibus, et æmulare hæc divina charismata.

COLLOQUIUM. — *Veni, Sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium.* (Eccles.)

II. MEDITATIO.

ACTA AB APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM.

Præludium I. — Historia.
Præludium II. — Apostoli Christum Judæis annuntiantes.
Præludium III. — Pete spiritum illorum nosse et sequi.

PUNCTUM I. — Accepto Spiritu Sancto Apostoli omnes ad unum

1° Statim foras prodeunt in publicum. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia* (3). Et sicut superbiæ est et temeritatis se absque vocatione ingerere; ita et pusillanimitatis est ac ignaviæ, accepta gratia, velle delitescere.

2° *Cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (4). Nam et hæc omnibus gentibus, populis, tribubus, et linguis prædicanda; nec alia, aut aliter Apostolos loqui decet.

Qui antea timidi fugerant, Dominum negaverant, aut

(1) *Act.*, 2. — (2) *I Cor.*, 12. — (3) *S. Ambros.* — (4) *Act.*, 2.

deseruerant, occulti manserant, propter metum Judæorum; nunc palam et audacter coram illis Christum confitentur et prædicant. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* (1)

PUNCTUM II. — *Facta autem hac voce,* et audito strepitu,

1° *Convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* (2) *Nonne,* inquiunt, *isti qui loquuntur, Galilæi sunt? et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?* Res mira et inaudita!

2° *Stupebant et mirabantur, dicentes: Quid hoc vult esse?* nempe divinum quid merito agnoscebant, aut suspicabantur, et magnos exitus inde exspectabant: Vere *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (3); et innumera nobis mirabilia pollicetur et portendit.

3° *Alii autem irridentes, dicebant: Musto pleni sunt isti.* Nunquam desunt tales irrisores, contemnentes verbum Dei, et ministros ejus irridentes et calumniantes. Sed hæc tam varia dispositio hominum ad verbum Evangelizantium, quæ apparet maxime in Missionibus, ut Apostolos non deterruit, ita nec deterreat prædicatores. Simul mirare Dei providentiam, et primam Legis Evangelicæ promulgationem, *viros ex omni natione, quæ sub cælo est, congregantem.*

PUNCTUM III. — *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam.*

1° Accepta occasione, refellit calumniam ebrietatis, tali die et tali hora: et effusionem Spiritus Sancti ostendit ex propheta Joel. Tum audacter illis annunciat Jesum crucifixum, arguens, increpans, exprobrans illis

(1) *Ps.* 76. — (2) *Act.*, 2. — (3) *Ps.* 117.

in faciem necem ejus, et ex Scripturis probans resurrectionem, simul excitans illorum ignorantiam ; et concludit : *Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quod et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.*

2° *His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? Et Petrus ad illos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu, et accipietis donum Spiritus Sancti. Salvamini a generatione hac prava.* Hæc documenta adverte, et data occasione usurpa.

3° *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.* (1) Hæ nimirum primitiæ Sanctissimæ Trinitati, in qua baptizati sunt, debebantur.

COLLOQUIUM. — Pete per meritum Christi, ad gloriam Dei, Spiritum quo pleni erant apostoli.

III. MEDITATIO.

VITA PRIMORUM FIDELIUM.

Præludium I. — Compositio loci, pro singulis punctis varia.
Præludium II. — Petitio gratiæ una est ad eos imitandos.

PUNCTUM I. — Quales erant erga Deum et Pastores? *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* (2)

1° Erant ergo assidui in audiendo ab Apostolis verbo Dei, et fideliter implendo.

2° Sanctissimam Eucharistiam quotidie percipiebant, pari fructu et gustu.

3° Orationi denique vacabant sine intermissione tam in templo quam extra. Hæc tria sedulo conjunge, et

(1) *Act.*, 2. — (2) *Ibid.*

præcipue commenda : sunt enim vitæ spiritualis elementa, alimenta et præsidia.

Punctum II. — Quales inter se ad invicem?

1° Erant omnes pariter, quasi in una domo habitantes, unamque familiam componentes. (1)

2° *Habebant omnia communia.* Non erat inter illos *meum, tuum, frigidum illud verbum, quidquid est malorum invehens, innumeraque gignens bella* (2). Pretia venditarum possessionum ad se allata dividebant Apostoli omnibus, *prout cuique opus erat.*

3° *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (3). Quam felix et quam suavis unio! *Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (4)! vere Christi Discipuli.

Punctum III. — Quales quoad cæteros?

1° Habebant gratiam ad omnem plebem, bono Christi odore captam (5). Quis enim talem vitam non probaret? quis ita viventes non amaret ac laudaret?

2° *Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis* (6) ; ex reverentia et religioso quodam metu, quem sanctitas vel improbis inspirat.

3° *Sed magnificabat eos populus;* quamvis infidelis, laudabat sanctam eorum conversationem, quam non sequebatur.

4° *Hinc augebatur quotidie in Domino credentium multitudo virorum ac mulierum,* qui eorum exemplo allecti et precibus adjuti, numero Fidelium aggregabantur. Æmulare promiscuæ multitudinis vitam, quam vix religiosissimi quique nunc imitentur. Si minus illam in mores fidelium revocare possumus, saltem sectemur inter nos quantum possumus, ut *Christi bonus odor simus in omni loco.* (7)

(1) *Act.*, 2. — (2) *S. Chrysost.* — (3) *Act.*, 4. — (4) *Ps.* 132. — (5) *Act.*, 2. — (6) *Ibid.*, 5. — (7) *II Corinth.*, 2.

Colloquium. — Idipsum a Spiritu Sancto postula pro te et pro fratribus.

Lectio ex Actibus apostolorum, cap. 2 et seq.

Ex lib. III de Imitatione Christi, cap. 47, quod omnia gravia pro æterna vita sunt toleranda; cap. 48, de die æternitatis, et hujus vitæ angustiis; cap. 49, de desiderio æternæ vitæ, et quanta sint certantibus bona promissa.

XXXII. CONSIDERATIO.

DE CULTU ET VENERATIONE SS. ANGELORUM ET HOMINUM.

I. — Est in Societate pia et antiqua consuetudo Litanias sanctorum quotidie recitandi, confirmata a Congregatione nona generali, addito in honorem beatæ Virginis Deiparæ hymno *Ave, maris stella*, et oratione *Defende*. Qua utraque devotione videtur Societas nos ad similem excitare et adjuvare; et hæc fere sola apud nos communis et publica precatio est.

II. — Ut recte fiat,

1° Eundo ad Litanias animum collige, proxima præterita recreatione aliquantum dissipatum.

2° Provolutus in genua aspice cœlos apertos, et cœlestem Curiam in eis regnantem; et primum Sanctissimam Trinitatem, in solio excelso et elevato sedentem, Angelorum, Sanctorumque millibus circumdatam, eamque cum ipsis sub initium Litaniarum supplex adora, misericordiam ejus deprecans.

3° Deinde, quasi supplicabundus cœlum circumiens, omnes et singulos beatorum choros venerare et pie invoca, eorum patrocinium exposce, et, intento in singulos animo, compella eos juxta modum et ordinem ab Ecclesia præscriptum.

4° Et primo quidem initio facto a beata Virgine Maria, eam triplici nomine compellabis, pro triplici cum personis divinis affinitate ac propria excellentia, dignitate et merito.

Deinde transeundo ad sanctorum Angelorum ordines, tres ex illis in Scripturis nominatos appellabis pro triplici hierarchia, et in qualibet triplici choro, reliquos in genere. Tum deveniendo ad varios sanctorum Hominum ordines, primum Patriarchas et Prophetas, et nominatim sanctum Joannem Baptistam et sanctum Josephum veneraberis; deinde sanctos Apostolos et evangelistas singulos appellabis. Sanctos Christi Martyres innumeros generatim, præmissis nominatim illustrioribus, in quibus agmen ducunt Innocentes, et tres insignes Archidiaconi, sequuntur quatuor paria Fratrum aut Sociorum;

post Pontifices et Confessores, duce sancto Silvestro, quem sequuntur quatuor Ecclesiæ Doctores, cum aliis duobus notioribus, uno Latino, altero Græco.

Dein singulos Fundatores Religiosorum Ordinum, aliosque Confessores, Sacerdotes, Levitas, Monachos, Eremitas: denique omnes sanctas Mulieres, sive Martyres, sive Virgines; Viduas aut etiam Conjugatas, paucis clarioribus post Mariam Magdalenam nominatis. His omnibus recensitis, collective adduntur: *Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.* Hoc facto, totam Jerusalem cœlestem perlustrabis; omnesque et singulos ejus Incolas salutans, totidem tibi Patronos adscisces.

5° Eorum suffragiis confisus ordinatim petes liberationem ab omnibus et singulis malis communibus et propriis, et pariter concessionem omnium bonorum spiritualium, corporalium, temporalium, æternorum, pro te aliisque Fidelibus, recensitis per modum obsecrationis omnibus Christi mysteriis. Quæ pleraque repetuntur in Versiculis et Collectis sequentibus. Unde hæc perfectissima Ecclesiæ oratio merito a Societate assumpta est, pro communi et publica precatione quotidiana.

6° Pro sua speciali devotione erga Deiparam Virginem, quotidie publice attestanda, eadem societas merito addidit hymnum *Ave, maris stella*, cum antiphona *Sub tuum præsidium*, et oratione *Defende, quæsumus;* quibus etiam rite additæ sunt orationes de sancto Josepho, Missionis Sinensis patrono, et communis de sanctis Ignatio et Xaverio canonizatis.

III. — Hæc omnia mente et corde sequens, devotionem erga Deiparam et Cœlites omnes quotidie exercebis, juxta mentem Ecclesiæ et Societatis.

Poteris etiam ad diversos fines precationem dirigere, puta ad reductionem Angliæ et Septentrionis, ad conversionem Sinarum, Japonum, Americanorum, et identidem ad pacem inter principes et populos christianos.

IV. — Præterea debet quisque, 1° probatas Sanctorum Reliquias pie venerari, et etiam in theca gestare; 2° sacras Imagines Christi, Deiparæ et Sanctorum, propter eos quos repræsentant, venerari et religiose colere, in cubiculo asservare; et saltem in numismate penes se gestare.

V. — Præter communem omnium Sanctorum cultum, debet quisque specialem gerere devotionem, 1° erga sanctum Angelum sibi Custodem a Deo datum; 2° erga sanctos Patronos sibi in baptismo aut Confirmatione datos, quorum nomen gerit et patrocinium frequenter implorare debet; 3° erga Patronos annuos et menstruos, juxta pium morem sibi sorte obvenientes, quos tanquam sibi a Deo datos debet reverenter et gratanter suscipere, eorum festa prævenire et celebrare speciali modo, eorum vitas legere et præcipue imitari virtutes, denique patrocinium in totam vitam et finem vitæ postulare.

Huc revocari potest usus Sacramentalium, ut aquæ bene-

dictæ, panis benedicti, Agnorum Dei, cereorum, palmarum et cinerum benedictorum; qui usus debet esse frequentissimus, et requirit fidem et unionem cum Christo, et reverentiam erga Ecclesiam.

DIES TRIGESIMUS TERTIUS,

QUARTÆ HEBDOMADÆ QUINTUS.

RECAPITULATIO.

Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. (*Ps.* 75.) Amorem tui solum mihi dones, et dives sum satis. (*S. Ignat.*)

MEDITATIO UNICA,

SEU CONTEMPLATIO,

AD AMOREM DEI SPIRITUALEM EXCITANDUM.

Præludium I. — Sta coram Deo, et tota cœlesti Curia tibi propitia.

Præludium II. — Pete beneficia et amorem ejus in te probe cognoscere, et mutuo amore quodammodo compensare, *diligendo non lingua*, neque affectu solo, *sed opere et veritate*, (1) per intimam bonorum omnium communicationem.

PUNCTUM I. — Considera beneficia per quæ Deus dedit tibi se ipsum immediate, ut sunt creatio, conservatio, redemptio, sanctificatio, glorificatio. Item beneficia particularia, quibus immediate te attingit. Quantum pro te egit et passus est : quantum de thesauris suis tibi largitus sit, aut promittat in futurum. Unde cognoscens quantum te amaverit, vide quantum tu illum redamare, et quid illi vicissim rependere debeas. Certe te ipsum totum, cum omnibus tuis, idque multipliciter, maxime si consideras, *quia prior dilexit nos*, tantus,

(1) 1 *Joann.*, 3.

tantum, gratis, tantillos, et tales. Dic ergo ex amore cum sancto Ignatio : *Suscipe, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum et voluntatem... Amorem tui solum mihi dones cum gratia tua, et dives sum satis, nec quidquam ultra posco.*

PUNCTUM II. — Considera beneficia per quæ Deus communicat se tibi mediate, mediantibus scilicet creaturis quas amore tui condidit et conservat, et quibus inest per essentiam, potentiam, præsentiam, dans elementis esse, plantis vivere, brutis sentire, Angelis intelligere. Hæc omnia et singula tibi dando, se ipsum quoque novo modo dat. *Accipe* beneficium, vide affectum, præsta obsequium, cave abusum, et per hoc *justifica animam tuam* (1). Agnosce illum in omnibus intime existentem, et reverere. Ama amantem, et se tibi communicanti responde, præsenti te præsentem exhibe, pro illis creaturis gratias age, easdem illi offer, in ejus gloriam et obsequium impende.

PUNCTUM III. — Rursus considera illum in omnibus pro te operantem ex amore. In sole quippe te illuminat, in terra te sustentat, in igne te calefacit, in plantis et arboribus, in brutis et hominibus tibi servit, alimenta, vestimenta, habitacula, remedia tibi parat et subministrat, idque ex amore, ut tibi bene sit. Agnosce igitur et senti amorem ejus. Vide quid a te reposcat. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (2) ? Certe omnes omnium operationes illi tribue. ad ejus gloriam et cultum refer, et tu ipse cum illo, pro illo, propter ipsum, indesinenter operare.

PUNCTUM IV. — Considera demum quomodo bona spiritualia et munera cœlitus ad nos descendant; ut sunt potentia, scientia, sanctitas; quæ sunt guttæ quæ-

(1) *Eccl.*, 14. — (2) *Ps.* 115.

dam ex oceano illo et fonte omnis boni profluentes, ex amore non illorum tantum, sed aliorum etiam quibus prosunt, aut prodesse debent. Hæc omnia Deo auctori cum amore mutuo tribue, in his illum agnosce et reverere; singula ad gloriam ejus refer; et ut Deus ab illis quoque agnoscatur et ametur fideliter impende.

In colloquio hos omnes affectus renova et collige, et dic, ut in primo Puncto, vel si quid melius occurrit.

Lectio ex Directorio, cap. 39; ex Gaudier, cap 31, sed præcipue eorum quæ toto tempore secessus scripto notata sunt. Item ex lib. III de Imitatione Christi, cap. 5, de mirabili effectu amoris Divini; et 6, de probatione veri amoris; cap. 34, quod amanti sapit Deus super omnia et in omnibus.

XXXIII. CONSIDERATIO.

DE EXERCITIO PRÆSENTIÆ DIVINÆ.

I. — Hoc Exercitium est voluntaria, et continua seu constans attentio, eaque affectuosa, et efficax ad Deum præsentem et res Divinas. 1° Est attentio, id est applicatio animi; 2° continua moraliter, seu saltem frequentissima; 3° affectuosa, seu non speculativa et sicca; 4° efficax, id est inducens et excitans ad agendum; 5° ad Deum ut præsentem, id est non longe dissitum; 6° ad res Divinas, seu ad officia nostra quibus Deo servimus, sola contemplatione non contenti.

II. — Fundatur in fide, quæ docet Deum ubique esse præsentem tripliciter, per essentiam, potentiam, scientiam. Sic est in omnibus creaturis, et quidem libere dans illis esse, posse et agere, sciens et volens. Huic triplici Dei præsentiæ respondet exercitium nostrum, quo tripliciter quoque Deo præsentes sumus, ut creaturas rationales decet, agnoscendo et sentiendo essentialem omnimodam ab illo dependentiam, jugem ejus memoriam conservando, et in ipso, cum ipso et pro ipso semper agendo.

III. — Consistit igitur in tribus actibus, scilicet, intellectus, voluntatis et aliarum potentiarum externarum, et hic est præcipuus. 1° Est actus fidei; 2° virtutum affectivarum; 3° est intentio, fervor, prudentia in agendo. Ad hunc tertium tendunt duo alii præsupositi, qui ita disponuntur et juvant ad

agenda quæ oportet, ut ea impedire non debeant. Angeli Custodes sic suos juvant et dirigunt, ut simul visione Dei jugiter gaudeant.

IV. — Tres sunt hujus quasi gradus perfectionis. 1° Est simpliciter meminisse Dei præsentis; 2° illum sentire in se; 3° agnoscere existentem et agentem in omnibus.

V. — Praxis magis a Deo pendet quam ab homine. Deus enim est *qui docet hominem scientiam* (1), maxime hanc scientiam Sanctorum; quia tamen gratia solet uniformiter operari, Sancti methodum quamdam secuti, eam nobis tradiderunt, quam humiliter sequi possumus et debemus.

VI. — Innumeri sunt modi Deum sibi præsentem sistendi; quorum alii sunt potius passivi, alii ex imaginatione pendentes difficiles sunt, nec in veritate fundati, quos nec vituperare, nec suadere debemus, sed fidem et veritatem sequi, *invisibilem tanquam videntes, sustinentes.* (2)

VII. — Christum Deum et hominem considerare possumus multipliciter: 1° in Cœlo, sedentem a dextris Patris; 2° in Sacramento vere, et realiter existentem, saltem ad illum conversi; 3° in aliquo statu præterito vitæ vel mortis, per memoriam: vel in futuro judicio vivorum et mortuorum, per fidem; 4° vel absolute, secundum Personam præcise sumptam.

VIII. — Deus solus seu Divinitas spectari potest, vel absolute in se ipsa, vel præcise secundum essentiam, vel secundum attributa absoluta aut relativa; per visionem simplicem reverentiæ et amoris plenam; vel relative ad nos, ut in Deo existentes, vel habentes Deum in nobis existentem, vel utrumque; vel relative ad alias creaturas, quæ sunt simul ejus opera, et in nos beneficia, unde exsurgit amor, gratitudo, etc.

IX. — Sanctus Ignatius vult a nobis considerari Deum existentem in omnibus creaturis per essentiam, potentiam, præsentiam, et in ipsis ac per ipsas operantem pro nobis ex amore qui mutuum amorem petit.

X. — Non omnes eamdem methodum sequi debent, nec perfectissimam quærere, cujus non omnes sunt capaces; sed eam unusquisque sequi debet quæ magis ipsi placet, et ad quam in oratione inclinari se sentit. Sed quamcumque harum sequatur, quæ omnes bonæ sunt, nequaquam hærere debet in actu fidei aut imaginationis, sed progredi debet ad affectum et actionem.

XI. — Media ad hoc Exercitium conducentia.

Alia sunt negativa, quæ removent obstacula. Hæc autem sunt: 1° peccata; 2° inutilia seu superflua; 3° nimius ardor, aut inordinatio etiam in necessariis; 4° passiones indomitæ; 5° præsumptio.

Alia sunt positiva, seu affirmativa: suntque dispositiones necessariæ, 1° Deum sese offerentem excipere; 2° se abscondentem quærere frequentibus elevationibus; 3° orationi insis-

(1) *Psalm.* 93. — (2) *Hebr.*, 11.

fere, eamque in duplum producere ; 4° cognitioni affectum, et utrique actionem adjungere, 5° et quod primum et potissimum est, sæpe sæpius, ferventer et constanter hoc unum a Deo petere.

XII. — Usus jaculatoriarum Orationum huic Exercitio adjungendus, crebras et breves precationes, saltem certis temporibus frequentando.

FINIS.

INDEX.

Paginæ.

PRÆFATIO. V

Synopsis analytica Exercitiorum spiritualium sancti Ignatii Loyolæ. XV

Exercitia spiritualia decem dierum, cum quinque Meditationibus in singulos dies. XXIII

DIES I.

Præparatio.

I. MEDITATIO. Præparatio ad facienda Exercitia. 1

II. MEDITATIO. Præparatio specialis ad hæc Exercitia. 3

III. MEDITATIO. Repetitio utriusque 5

I. CONSIDERATIO. De ipsis exercitiis spiritualibus, et sacro secessu . . . . . *ib.*

DIES II.

Fundamentum.

I. MEDITATIO. De fine generali hominis. . . . 7

II. MEDITATIO. De eodem fine 10

III. MEDITATIO. De fine speciali Societatis. . . 13

II. CONSIDERATIO. De his quæ fiunt ab examine serotino usque ad orationem matutinam. . . . 16

Pag.

DIES III. (PRIMÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.)

De multitudine peccatorum.

I. MEDITATIO. De triplici peccato 17
II. MEDITATIO. De peccatis propriis 20
III. MEDITATIO. De Diluvio universali. 22
III. CONSIDERATIO. De oratione mentali, seu Meditatione 26

DIES IV.

De gravitate peccatorum.

I. MEDITATIO. De gravitate peccati in genere. . 28
II. MEDITATIO. De gravitate peccati mortalis . . 31
III. MEDITATIO. De peccatis consecratorum Deo. 36
IV. CONSIDERATIO. De examine generali et quotidiano 38

DIES V.

De peccatis venialibus.

I. MEDITATIO. Peccati venialis natura, et malitia in se. 39
II. MEDITATIO. Damna et pericula peccati venialis. 42
III. MEDITATIO. Pœnæ peccati venialis. 44
V. CONSIDERATIO. De sacra confessione. . . . 45

DIES VI.

De morte.

I. MEDITATIO. De natura et proprietatibus Mortis. 47
II. MEDITATIO. De angore moribundi. 49

Pag.
III. Meditatio. Præparatio ad mortem 51
VI. Consideratio. De Examine particulari. . . 53

DIES VII.

De judicio.

I. Meditatio. De Judicio particulari 54
II. Meditatio. De Judicio universali. 57
III. Meditatio. Præparatio ad Judicium. . . . 59
VII. Consideratio. De manifestatione Conscientiæ. 62

DIES VIII.

De inferno.

I. Meditatio. De pœnis Inferni in genere. . . 63
II. Meditatio. De pœnis Inferni in specie. . . 67
III. Meditatio. De damnatione religiosorum et sacerdotum. 69
VIII. Consideratio. De praxi mortificationis sensuum, passionum, pravorum habituum et linguæ 72

DIES IX.

De pœnitentia.

I. Meditatio. De fructibus pœnitentiæ. . . . 74
II. Meditatio. Ad contritionem ex amore. . . 76
III. Meditatio. De Filio prodigo, ut motivo et exemplo pœnitentiæ. 78
IX. Consideratio. De mortificatione externa et usu Pœnitentiarum 82

Pag.

DIES X.

Imitatio Christi.

I. Meditatio. De regno Christi, seu de Christo rege ad sui sequelam invitante. 83
II. Meditatio. Personalis applicatio præcedentis. 87
III. Meditatio. De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ut reconciliationis complemento et vitæ novæ alimento. 88
X. Consideratio. De regularum præstantia, utilitate, obligatione 90

DIES XI.

Ingressus Christi in mundum.

I. Meditatio. De Mysterio Incarnationis. . . . 92
II. Meditatio. De nativitate Christi. 94
III. Meditatio. De Christi Circumcisione . . . 95
XI. Consideratio. De voto religiosæ paupertatis. 97

DIES XII. (secundæ hebdomadæ primus.)

Christi infantia.

I. Meditatio. De præsentatione Christi et purificatione Mariæ. 99
II. Meditatio. De fuga Christi in Ægyptum. . . 101
III. Meditatio. De regia Christi infantis dignitate, qua apparuit Rex cœlestium, terrestrium et infernorum. 103
XII. Consideratio. De religiosa castitate . . . 105

Pag.

DIES XIII.

Vita Christi privata.

I. Meditatio. De virtutibus vitæ Christi privatæ propriis 107
II. Meditatio. De vita Christi abscondita sub obedientia. 109
III. Meditatio. De Christo remanente Jerosolymis. 111
XIII. Consideratio. De religiosa obedientia. . . 113

DIES XIV.

Invitatio ad vitam apostolicam.

I. Meditatio. De duobus vexillis 115
II. Meditatio. Applicatio præcedentis 120
III. Meditatio. De tribus hominum classibus. . 121
XIV. Consideratio. De statu et electione. . . . 122

DIES XV.

Dispositio ad capessendam Christi doctrinam.

I. Meditatio. Consideratio de tribus modis humilitatis. 123
II. Meditatio. Reflexio circa hos modos, et judicium de illis 128
III. Meditatio. De investiganda Dei voluntate, et exploranda cordis dispositione. 130
XV. Consideratio. De gradu perfectionis eligendo. 131

DIES XVI.

Præparatio Christi ad vitam publicam.

I. Meditatio. De baptismo Christi. 132

Pag.

II. Meditatio. De solitudine et jejunio Christi. . 134
III. Meditatio. De tentatione Christi. 136
XVI. Consideratio. De rectitudine et puritate intentionis. 138

DIES XVII.

Vita Christi publica.

I. Meditatio. De vocatione et electione apostolorum. 139
II. Meditatio. De sermone Domini in monte. . 142
III. Meditatio. De Christi conversatione. . . . 143
XVII. Consideratio. De lectione pia, et auditione verbi Divini. 145

DIES XVIII.

Apostolicæ vitæ exercitium.

Meditatio. De missis ad prædicandum Apostolis 147
II. Meditatio. De missione septuaginta duorum Discipulorum 149
III. Meditatio. De missis in universum mundum Apostolis. 152
XVIII. Consideratio. De officiis humilitatis et charitatis domesticis et externis. 155

DIES XIX.

Virtutes apostolicæ ad se.

I. Meditatio. De paupertate apostolica. . . . 156

Pag.

II. Meditatio. De mortificatione apostolica seu vitæ austeritate 158
III. Meditatio. De humilitate apostolica. . . . 160
IV. Meditatio. De apostolico mundi contemptu. 163
XIX. Consideratio. De visitatione SS. Sacramenti. 165

DIES XX.

Virtutes apostolicæ ad proximum.

I. Meditatio. De zelo animarum 168
II. Meditatio. De mansuetudine 170
III. Meditatio. De patientia apostolica. . . . 172
XX. Consideratio. De conversatione cum nostris et externis 174

DIES XXI.

Virtutes apostolicæ ad Deum.

I. Meditatio. De diffidentia sui, et fiducia in Deo. 176
II. Meditatio. De studio orationis. 177
III. Meditatio. De conformitate cum voluntate Dei. 180
XXI. Consideratio. Praxis conformitatis voluntatis nostræ cum Divina voluntate. 182

DIES XXII.

Successus Christi.

I. Meditatio. De transfiguratione Christi . . . 184
II. Meditatio. De resuscitatione Lazari. . . . 186
III. Meditatio. De solemni ingressu Jerosolymam. 188
XXII. Consideratio. De officiis gestis aut gerendis. 190

Pag.

DIES XXIII. (TERTIÆ HEBDOMADÆ PRIMUS.)

Præparatio ad passionem Christi.

I. MEDITATIO. Præparatio ex parte aliorum. . . 192
II. MEDITATIO. Cœna legalis. 194
III. MEDITATIO. Cœna mystica 196
XXIII. CONSIDERATIO. De studiis. 199

DIES XXIV.

Dolores Christi interni.

I. MEDITATIO. De Christi tristitia et tædio. . . 200
II. MEDITATIO. Quomodo Christus in tristitia se gesserit 202
III. MEDITATIO. Christi confortatio, agonia, et sudor sanguinis. 204
IV. MEDITATIO. De comprehensione Christi. . . 205
XXIV. CONSIDERATIO. De scholis regendis et puerorum educatione 207

DIES XXV.

Ignominiæ ad tribunalia.

I. MEDITATIO. De gestis in nocte 208
II. MEDITATIO. Traductio Christi ad Pilatum . . 210
III. MEDITATIO. Transmissio Christi ad Herodem. 212
IV. MEDITATIO. De trina Petri negatione. . . . 214
XXV. CONSIDERATIO. De functionibus sacris erga proximos a Societate exercendis. 216

DIES XXVI.

Tormenta Christi in prætorio.

I. MEDITATIO. Flagellatio 217

Pag.

II. Meditatio. Coronatio et adoratio. 219
III. Meditatio. Exhibitio Christi populo facta. . 221
XXVI. Consideratio. De temporis usu, ordine diurno et negotiis. 223

DIES XXVII.

Cruciatus in monte calvariæ.

I. Meditatio. Supplicium crucis Christi. . . . 224
II. Meditatio. Christus in cruce moriens . . . 227
III. Meditatio. Mortem Christi consecuta. . . 229
XXVII. Consideratio. De refectione corporis. . 231

DIES XXVIII.

Passio Christi in genere.

I. Meditatio. Ex parabola sancti Bernardi. . . 233
II. Meditatio. De compassione Beatæ Virginis Mariæ, Dei Genitricis 237
XXVIII. Consideratio. De relaxatione animi . . 240

DIES XXIX. (quartæ hebdomadæ primus.)

De vita Christi gloriosa.

I. Meditatio. De mysterio resurrectionis Christi. 241
II. Meditatio. De resurrectione nostra spirituali. 243
III. Meditatio. Apparitio Discipulis euntibus in Emmaus. 244
XXIX. Consideratio. De Officio Divino, sive de Horis canonicis. 246

Pag.

DIES XXX.

Apparitiones apostolicæ.

I. Meditatio. Apparet Apostolis in cœnaculo congregatis 248
Supplementum hujus Meditationis. — Thomæ incredulitas et conversio. 250
II. Meditatio. Apparet septem Discipulis piscantibus 252
III. Meditatio. Apparet Discipulis congregatis in monte Galilææ. 254
XXX. Consideratio. De sanctissimo Missæ Sacrificio celebrando 256

DIES XXXI.

Christus ascendens in cœlum.

I. Meditatio. Ascensio Domini. 258
II. Meditatio. Gloriosa Christi vita in cœlo. . . 259
III. Meditatio. Secessus Discipulorum typus tertiæ Probationis. 261
XXXI. Consideratio. De devotione erga Sanctissimam Virginem Deiparam. 262

DIES XXXII.

Fructus Ascensionis Christi, sive descensus et operationes Spiritus Sancti.

I. Meditatio. Descensus Spiritus Sancti in Apostolos 264
II. Meditatio. Acta ab Apostolis per Spiritum Sanctum. 266

Pag.

III. Meditatio. Vita primorum Fidelium. . . . 268

XXXII. Consideratio. De cultu et veneratione sanctorum Angelorum et Hominum. 270

DIES XXXIII.

Recapitulatio.

Meditatio unica, seu Contemplatio. Ad amorem Dei spiritualem excitandum. 272

XXXIII. Consideratio. De Exercitio præsentiæ Divinæ 274

FINIS INDICIS.

060.32
P445
42978

PETITDIDIER, Jean-Joseph
AUTHOR

Exercitia Spiritualia.
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - COSA
	JUL 19 73

42978